



6
35-B
15
6
31
N
2

OCTAVII · BOLDONII · EPISC · THEANENSIS

# EPIGRAPHAE

RELIGIOSAE · MEMORIALES · MORTVALES · ENCOMIASTICAE

IACOBO
ROSPILIOSO
S · R · E · CARD
CLEMENTIS · IX
PONT · MAX
FRATRIS · FILIO
HEREDI · GLORIAE
D · D

ROMA

A. Clouet sculp.







# OCTAVII BOLDONII

EX CLERICO REG. S. PAVLI BARNABITA

## EPISCOPI THEANENSIS

EPIGRAPHAE




Religiosæ
Memoriales
Mortuales
Encomiasticæ

Restituto Theatro Montio,
& Cosmopæia Mediceo-Rouerea.

*Cum Indicibus sex in calce.*


EMINENTISS. PRINCIPI

## IACOBO ROSPILIOSO

S. R. E.

CARD. AMPLISS.







ROMAE, Typis & Sumptibus Nicolai Angeli Tinassij. M. DC. LXX.

*MAGISTRATVVM PERMISSV.*



EMINENTISS. PRINCIPI

# IACOBO ROSPILIOSO

## S. R. E. CARDINALI

AMPLISSIMO

*OCTAVIVS BOLDONIVS EPISCOPVS THEANENSIS*
*S. P. D.*



VOD ANNO SVPERIORE, EPIGRAPHARVM MEARVM CORPVSCVLVM NVNCVPANDVM DESTINARAM TVTELARI MEO NVMINI CLEMENTI IX. PONT. MAX. DECEDENSQVE VRBE AD MEAM SEDEM, ORDINARAM TYPIS CVDENDVM: ID POSTMODVM PRAELO CVNCTABVNDO: ET (QVASI FATI PRAESCIO) CONTVMACIVS GEMISCENTE, NVNC TANDEM EXCLVSVM, LVCEM ASPICIT; SI MODO OBVIAM HABET LVCEM, VBI SVVM EX INSPERATO OCCIDISSE SOLEM REPERIT. NE TAMEN HABEAT, VNDE PENITVS FATVM INCVSET, OBLATAM PROVIDO NVMINE MIRATVR INTER OFFVSAE NOCTIS IPSOS HORRORES LVCEM VICARIAM: TE SCILICET, PRINCEPS AMPLISSIME, TANTI PONTIFICIS GERMANO GENITVM, ATQVE IN APOSTOLICO CAELO SIDVS PRAEFVLGENS; HESPERVM PORRO DICAM, AN PHOSPHORVM? VTRVMQVE MELIVS; QVANDO CLEMENTE OCCIDENTE EXORITVR CLEMENS, VT VNVS IDEMQVE SEMET REPARATVRVS SOL CREDI DEBEAT, ET SVPERIORIS PONTIFICATVS INTERCEPTAM FELICITATEM INTEGRATVRVS. AC TV QVIDEM CLEMENTI NONO SVPERSTES, DECIMO PRAEVIVS, CAELESTIS VIGILANTIAE, PRVDENTIAE, CONSILII FACE INEXTINCTA PRAESTO ES. CETERVM CLEMENTIS TVI QVAM FVIT IMPERIVM FVGAX; TAM FIRMA,

ET DVRATVRA CVM SECVLIS GLORIA. VRBANOS IPSOS, INNOCENTIOS, ALEXANDROS, PRAECLARA ILLA NOMINA DECESSORVM PROXIME SVMMORVM PONTIFICVM, COMPENSATIS DIERVM COMPENDIO LVSTRIS, AETATE DVMTAXAT SVPERIORES AGNOSCIT FAMA, IN AETERNITATIS TRIVMPHO DEDVCIT CONSORTES. MIHI VERO INTERIM LICET IN TE SVPERSTITE CONTEMPLARI PATRVI INCLYTI ADORANDAM MVNIFICENTIAM: CVI IN COPIA SVMMORVM INGENIORVM, AC PRINCIPVM REI LITERARIAE VISVM FVIT, ME POTISSIMVM NVLLIVS NOTAE HOMINEM, CVSTODEM PRIMVM CREARE BIBLIOTHECAE VATICANAE; HOC EST FIDEI CREDERE MEAE THESAVROS OMNIS ANTIQVITATIS, SACRARIVM DIVINAE, ATQVE HVMANAE SAPIENTIAE, ARMAMENTARIVM RELIGIONIS ORTHODOXAE, (AD SVMMAM) OPES AGGESTAS OMNIVM GENTIVM, OMNIVM INGENIORVM. ATQVE HVIVS BENEFICII TAM VLTRA MERITA MEA, PARVM FVERIT, SI ET MEAM VLTRA AETATEM DEDICANDAM ESSE MEMORIAM PVTEM; IMMORTALE QVIPPE ESSE INTELLIGO, ET VLTRA TEMPORIS OMNIS LIMITES, VLTRA PRETIVM HVMANAE AESTIMATIONIS. VERVMTAMEN ENITOR, VT POSSVM, SVPPLERE INDVSTRIA VIRES: ET HIS PAGELLIS EPIGRAPHARVM, QVIBVS NONNVLLAE CONSECRANTVR MEMORIAE, AVSPICE TE TANTI PONTIFICIS HEREDE GLORIAE, TANTI MEMORIAM BENEFICII NVLLO ANNORVM CVRSV DETERENDAM OBSIGNARE. FORTVNENT TE SVPERI, ET PATRVI COMMVNE DESIDERIVM IN TE LENIANT. VALE. ROMAE CAL. AVGVSTI MDCLXX.

# AD LECTOREM BENEVOLVM

## *AVCTOR.*



EPigraphica recenti volumine per nos edita, vbi partem Elogij analyticam persecuti sumus, antè quàm accedamus ad synthesim, quæ volumine altero extremam nunc demum exoptat lineam, vt specimen artis aliquod de nostro præmittamus, Amicorum studium infatigatum extorsit meliùs, quàm elicuit; quippe nobis inuitis, & meritò supercilium reformidantibus nostræ ætatis, quùm non alia magis lasciuire ingenia in cudendis elogijs videmus. Hoc itaque Epigrapharum corpus dum in tantam lucem Elogiastarum producimus, haud dubiè audiemus κορώνας μετ᾽ ἀηδόνων, præterquàm à summis illis ingenijs, qui sibi præoptant Elogium modestiæ, ac temperantis à fastidio humilium, quàm triumphantis de summis ingenijs Elogiastæ. Priore de numero (Lector) te mihi spondeo fore. Itaque Elogium eiusmodi de te cum plausu excipiens, ne hoc in opusculo cinnum offendas, aut syluam incertus subeas, quatuor in ordines digerimus Epigraphas nostras, in Religiosas, Memoriales, Mortuales, Encomiasticas. Quamquàm ex his aliam in aliam misceri haud rarò contingat, non secus atque in generibus Causarum apud Rhetores, quæ, tres constitutæ cùm sint; stant tamen (inquit Fabius Inst. Orat. Lib. III. Cap. IV.) quodammodo mutuis auxilijs omnia. Namque in rem nostram, Religiosas Epigraphas, quà Dei, ac Diuorum memoriæ sacrantur, à Memorialibus minimè distrahas; nec ab Encomiasticis, quà facta celebrantur. Memoriales itidem quàm sæpe ab Encomijs œconomiam petunt? quàm sæpe & Mortuales? sed genus attendendum, quod in his regnat, & cui inseruiunt reliqua. Neque illud missum volumus, non ex eodem ligno esse exculptos hosce Mercurios, si trahere vocem fas est ad nostra. Alias siquidem alijs hic reperias Epigraphas pinguiores, Vt ætas dedit, in qua stylum arripuimus, à prima scilicet aggressi: Vt curæ animum tenentes: Vt genius quandoque reluctans: Vt tempus alijs, quàm

Musis

Musis opportunius. Has verò duximus non præiudicandas tibi ex ordine loci, sed prudentia tua, vbicunque offenderis, dignoscendas: Et, quas pueriles identidem comperies, pueritiæ condones; ratus, illius ætatulæ satis dignum censeri fructum eliminationem otij, & solo ausu compensari opus consummatum. Vale.

## CENSVRA OPERIS.


*Perlegi Epigraphas Octauij Boldonij Episcopi Theanensis, Religiosas; Memoriales, Mortuales, Encomiasticas, &c. Sed & irremissa acie luminum relegi iterum, atque iterum. Adeo non modò offendicula in ijs nulla reperi in fidem Catholicam, in mores Christianos: quin etiam elegantiam obseruaui cum pietate se se mirificè explicantem, cum castitate Veneres, cum grauitate iocos. Vsque eò demum expressam antiquorum marmorum in argumentis recentibus magnificentiam, vt gratulari huic nostro seculo possim, aureum cum antiquitatis inuidia esse restitutum. Quocirca dignissimum videtur id Epigrapharum volumen Epigraphis illustrium Elogiastarum, ne dum Typographorum studio, & luce prǽli. Ita censeo Ego Ioseph Ciantes Episcopus Marsicensis, vt nutus exequar Reuerendissimi Patris Iacynthi Magistri Sacri Pal. Ap. Romǽ XVII. Maij 1669.*

Ioseph Ciantes Episc. Marsicen.

*Imprimatur*,

Si videbitur Reuerendiss. Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

*I. de Angelis Archiep. Vrb. Vicesg.*



*Imprimatur*,

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Palatij Apostolici Magister Ordinis Prædicatorum.

# OCTAVII BOLDONII
## EPISCOPI THEANENSIS
### *EPIGRAPHAE RELIGIOSAE.*

*Florentiæ post Dictionem Academicam de Christo Domino, oculos velato per prætorianos Hebræorum ministros, exposita fuit in fronte Academiæ.*

Christus . velatur . oculos
Vestros . hùc . oculos . hùc . vota
Mortales.
Fulgorem . ne . veremini
Obtectus . sol . est .
Nusquam . tamen . apertior . Diuinitas . radiat
Quàm . hic . obtecta
Nusquam . oculatior . hic . excæcata



Augustior . nusquam . hic . derisa .
Velatus . oculos . Christus
Reuelatur . Cupido
Proh . Superum . fides !
Amantem . repræsentant . amentes . inimici
Fit . odium . parens . amoris . Megæra . Cupidinis .
Tumultuaria . opera . norma . operis . absolutissimi .
Elegantissimam . tabulam
Sanguinaria . manus . delineat
Insaniæ . penicillus . colorat
Liuoris vmbra . perficit .
Furialis . idæa . imaginem . Dei
Deo . ipsi . non . meliùs . fingendam . exponit
Meliori . spectatam . in . lumine
Inter . carnificum . manus
Quàm . Cælitum . inter . obsequia



Sed . suo . ipsa . velo
Bellè . tegitur . ad . religionem .
Detegitur . silentij . velo . luculentiùs . quàm
Sermone.

*Anno MDCLXVI. In supplicatione celeberrima Piscienſium Etruriæ populorum, in qua Christi Crucifixi imago lignea vetuſtiſſima ſummæ venerationis geſtatur tertio quoque anno in Feria V. Cœnæ Domini, diſtributæ Epigraphæ quinque in Arcu triumphali.*

I.

Quem
Geſtatis . Piſcienſes . in . pompa
CRVCIFIXVM
præoptat . corde . geſtari
Quàm . humeris .
Imaginem . ſuam . in . vobis . deperit
in . ligno . vix . agnoſcit .
Redite . ergo . inſipientes . ad . cor
Erumpite . fontem . fletuum
Quo . in . vobis
CÆLESTIS . NARCISSVS
De . Cruce . languens
Formoſam . imaginem . ſuam
Beatior
Contempletur.

II.

En . vobis
PISCIENSES
Cæleſtis . Imperator
cruenta . in . chlamyde
Redux
Ab . Orco . domito . ab . Orbe . aſſerto
Sed . extinctus . exanimatus
Proh!
Nouum . palmæ . genus . ac . Mundo . inſolens .
Expugnauit . cæſus
Vicit . proſtratus
Debellauit . occiſus .
Deducite . vos . pleno . triumpho
Ingeminate . carmina
Interſerite . plauſus

Aſt

Ast
Præcedat . oportet . triumphatoris . currum
Captiuorum . turba
Vitiorum . Cupidinum .
Hoc . illi
Non . splendidior . vllus . apparatus
Non . spolium . opimius
Non . gratior . pœan

III.

Hùc . ades . O
IESV
Salutem . qui . nostram
Tua . peperisti . infirmitate
Lauream . dedecore . Vitam . morte
Beatitatem . ægritudine
Hùc . ades
NAZARAENE
Anteà . floride, mox . senticosæ
Qui . nobis
Æternum . Ver . peraspera . hyeme
Olympicos . flores . feralibus . dumis
Paradisiacas . rosas . Iudaicis . telis . coëmisti.
Hùc ades
REX
E . Cælorum . aula . in . hæc . delapse . mapalia
E . sinu . Patris . beato . in . mortis . gremium
E . consortione . Cælitum . in . mancipiorum . contubernium
E . solio . Diuinitatis . in sordes . mortalitatis
Hùc . ades
IVDAEORVM
Dicam . an . Hyenarum?
Heu . vices . ingratas!
Heu . quibus . tua
Officia . contumelijs . Beneficia . veneficijs
Gratias . furijs . Charitatem . liuore
Compensant!
Expunge . ah . sacrilegos . Expunge . & Fac . legatur
IESVS . NAZARAENVS . REX . PISCIENSIVM

Intuere. Homo
Creatorem. tuum, ac Recreatorem
Rèdama. Amantem
Bene. dic
Bene. &. volenti. &. facienti
Siccinè. amens. in. amantem. furis
Et. dona. recudis. in. tela?
Vah. monstrum
En. inquit. vt. pulcrum. Te. formarem
Formosam. meam. contemplatus. sum. speciem
Et. in. Te. Memet. expressi
TV
Furiali. penicillo. imaginem. corrupisti
Sed. &. exemplar. quomodo. tractaueris
Ex. hoc. ligno. disce
In quo
Mea. pependit. humanitas
Tua. suspendit. immanitas

V.

*Cum adhortatione ad subsidium structuræ noui Templi resurgentis in honorem B. Virginis ab Angelo salutatæ.*

Soluistis. Templum. hoc
Inclamat. Vos. IESVS. è. Cruce
Impurissimi. Iudæorum
Soluistis
At. impietate. vos. æterna. vinxistis
Diruistis. hoc. Templum

Architecto. æterno. Genitore. meo
Magistro. sancto. ipsius. Flamine
Ministro. Archangelo
Cæmento. Virgineo
Fabricatum
Exhaustis. ei. ornando
Gazæ. cælestis. diuitijs:
Mea. porrò
Augustum. Maiestate
Verendum. Præsentia
Plenum. Gloria.
Arietastis. parietes. sacrosanctos
Conquisitis
Rigentioribus. sentium
Durioribus. clauorum
Dirioribus. contortum
Grauioribus. trabium:
Hisque. omnibus. O. nefas. magè. fatalibus
Linguis. vestris.
Heu. Vos. Piscienses
Vos. de. hac. Cruce. compello
Compensate
Pietate. vestra. istorum. impietatem
Proq; meo. Templo. soluto
Hoc. Genitrici. meæ. Templum. resurgens
Miserabundi. fulcite
Absoluite

*In solemni pompa Sacræ Eucharistiæ, ipso die festo, cùm in Natalem incideret S. Ioannis Baptistæ (anno 1666.) ducta Vigleuani per Episcopum à Summo Templo, ad D. Pauli; huius ad fores pependit Inscriptio subiecta stemmati gentilitio Episcopi, quod exhibebat in petra sacra Altaris Columnam stantem; eiusque in fastigio imaginem circuli Eucharistici. Est autem nomen illi Genti, A Petra sancta.*

CHRI-

CHRISTO . DEO
Cereali . in . chlamyde . hodierna luce
Triumphanti
Diuoq; Ioanni. Baptistæ . recurrente . luce
Nascenti.
SACRVM
O . bene . coeuntia . nostram . ad . felicitatem . sidera
VIGLEVANENSES
Augusto . nisi . in . ferculo . Deum . gestari
Nefas . est
Sacrosancta . nisi . in Petra . sisti
Pontificali . nisi . Columna . fulciri .
Sed . accurrit
Honoribus . triumphaturo . aggerandis
IOANNES
Qui. nasciturо. præcucurrit.
En. vti . gestiens . indicat
Quem . videt . gestari . à . nostro . Præsule
Videt . dicamus . an . inuidet ?
Dignus . vterque . planè . probatus . minister
Tanto . Triumpho .
Ille . Zachariæ . Patris . vaticinio .
Hic. auspicio. Patrij. stemmatis.
Effunde. Io
Effunde . flores . Ciuitas
Adole . Thura
Attolle. cantus
Lætitiæ . Pietatis . Gratulationis

*In sacram Christi Domini Sindonem , instituta piorum sodalitate ad felicem obitum obtinendum, distributæ in aditu Templi.*
*Epigraphe III.*

Agite . Ciues
Sacrosanctam . Christi . Sindonem
Votis . omnibus . colite
Frequentate

Eius

Eius
Demortui. vestigium
Rediuiui. vexillum
Vobis
Ad. mortem. solatium
Ad. immortalitatem. præsidium

ITEM

IOSEPH

*Accepto Christi corpore inuoluit illud in Sindone munda. Matth. c.27.*

FELIX. TV. IOSEPH
Tam. pio. dignatus. in. Crucifixum. Deum
Obsequio
Ter. Vos. felices. O. Ciues
Si. vestro. de. corde. sed. mundo
Sindonem. feceritis
Mortuum. accepturi. ad. requiem
Rediuiuo. conuicturi. ad. beatitatem

ITEM

IOSEPH

*Mercatus Sindonem, ac deponens Christi Corpus inuoluit in Sindone. Marci cap. 15.*

Mercamini. &. Vos. ò. Ciues
In. quo
Diuinum. decenter. inuoluatis. Depositum
Quid. hæretis?
Non. illud. auro. constabit. non. argento
Sed. lacrymis. sed. votis
Anhelantis. Animæ.
Præ. commissis. in. Patrem. optimum. sceleribus
suspirantis
Ad. suauem. amantissimi. Sponsi. complexum
aspirantis

*Galeatæ in Flaminia, Dedicatum Altare Diuæ Virgini (vulgò) Annunciatæ.*

Hanc. tibi. Aram adiecta. dote
Vti. propitia. sis
MARIA. VIRGO
Nuntio. Cælesti. salutata
Votam. dedico
Alexander. Dinus. ab. Gal. oriund.
Francisci. fil.
Ciuis. honesti. Samminiaten.
Cancellariæ. munere.
Propitio. Deo. per. annos. LX. integros
Integrè. functi.
An. à. partu. tuo. Virgineo
MDCLVI.

*In Diui Herculani Episc. & Mart. Perusiæ, sub quaternis Picturis Sacellum Maximum literatum ita fecimus.*

I

PERVSIA. DVRISSIMO. GOTHORVM. OBSIDIO. PER. SEPTENNIVM. PRESSA. PASTOR. OPTIMVS. HERCVLANVS. GREGEM. IMMINENTIA. LVPORVM. TREPIDVM. INCLINANTEMQVE. ALLOCVTIONE. CONSILIO. GRATIA. CONTINVIT. CONFIRMAVIT

II

CONSILIA. HERCVLANI. SANCTISSIMA. PRODI. IMPIIS. OBSESSORIBVS ALTIORE. SINIT. CONSILIO. PROVIDENS. NVMEN. CLADEM. EVERSAE. POST. VRBIS. IN. PRETIVM. CORONAE. PRAESVLIS. DISPERSIONEM. GREGIS. IN. PASTORIS. LVCRVM. SAEVITIEM. HOSTIVM. IN. PROTECTORIS. CAESI. TRIVMPHVM. VERTIT

PRO-

III.

PRODITI. EXITVM. AC. PRODITORIS. DISPARIA.
REDDVNT. STVPENDVM. PRODIGIA.
ILLE. TRVNCVS. DECORIATVS. PRAECIPITATVS.
AD. DIEM. QVADRAGESIMVM. ABIECTVS.
RESTITVTVM. DEIN. CADAVER. SVVM. INTEGRVM.
AC. FVLGORE. CAELESTI. RADIATVM.
EXHIBENS.
SVVM. HIC. SIMVL. CAESVS.
TABIDVM. FOETIDVM. VERMINOSVM.
SED. SANCTO. ADIACENS
MOX. REDIVIVVM. AC. VEGETVM.
METAMORPHOSIN
VTERQVE. MIRACVLO. PLENAM.
SPECTATORIBVS. OFFERT.

IV.

SQVALENTE. HOCCE. TEMPLO. D. HERCVLANI.
REPVRGATO. ADORNATOQ.
COLLEGIO. CLERICORVM. S. PAVLI.
ADIECTIS. AEDIBVS. ADSCRIPTO. CENSV.
FVNDATO.
PARTE. CORPORIS. SANCTISS. MARTYRIS.
CELEBERRIMA POMPA. IN. ALTARI. MAXIMO. COLLOCATA.
MAGNANIMVS. NEAPOLEO. COMITOLVS.
PERVSINVS. EPISCOPVS.
MEMORIAM.
CVM. CVLTV. TANTI. PATRONI.
FVTVRIS. SECVLIS.
SEMPITERNAM. TRANSMISIT.
AN. DOM. MDCXVII.

*Mediolani epidimia extincta, quæ annum MDCXXIX. memorandum fecit ab Vrbis fœdissima vastitate, Sodales Carmelitani simulacrum Deiparæ circunuecturi triumphali pompa, ac celebri supplicatione in gratiarum actionem, hanc à nobis Inscriptiunculam popularem exegere, Arcui Triumphali dedicando.*

AVGVSTAE. SIGNVM. VIRGINIS
Festissimos. inter. apparatus
Carmelitani. ordinis
Circumferri. dum. spectas
Agnosce. Ciuis
SIGNVM. MAGNVM
Apparens. in. Terris
Quod. Ioannes. Apostolus
In. Cælo
Suspexit. beatus.
Quæ. lux! Io! tantas. inter. sordes
Quæ. serenitas!
Certum. hocce. Tibi
SIGNVM. FOEDERIS
Seruare. satage
Non. vltra
Diluuium. dissipans. Vrbem
Verebere

*In Academia Astensi, Nobis Præsidibus, cùm Anniuersaria sacra Diui Alexij apparatu literario celebrarentur, hic titulus extitit.*

DIVO. ALEXIO
Romanorum. Equitum. splendidissimo
Amore. cælestium. pauperi. &. obscuro
In. patria. peregrino
In. lare. hospiti
In. thalamo. virgini
Cognito. omnibus. & ignoto
Deo. amabili
Cœlestibus. Terrestribus
Admirabili
Palladina. Iuuentus
Tanti. Solis. beata. fulgoribus
Ingenium. stylum. vocem
S. D. Q.

*Hoc autem Elogio terminatus Theatri prospectus.*

IO. Roma. IO
A L E X I V S
Amor. tuus. tibi. mortuus
adhuc. viuit
Tu. ne. moroſa. luge
Sed. mirata. lege. &. ſtupe
Non. ſplendorem. generis
Non. fortunarum. copiam
Non. ordinis. amplitudinem.
His. mage. claruit
Sponte. carens. quàm. impensè. curans
vouens. quàm. auens
Lectiſſimæ. copulatus. virgini. arctiùs. vt. hæreret
abſtinuit
Virgini. ſponſus. eſſe. debuit. ſimilis
Sociam. non. ſauciam. vt. faceret
Habuit. vt. linqueret. liquit. vt haberet
Habuit. nec. tamen. tenuit
Ratus
Non. illi. monile. pretioſius. non. dignius. coniugij. pignus
offerri. virginitate. poſſe
Torum. cæleſtem. concupiens. præ. terreſtri
Amplexus. diſtulit. non. reiecit
Liquit. Mundana. procul. abſcedens
Se. quoque. vt. linqueret. reuertit.
Pugnaturus. abijt. Triumphaturus. redijt.
Patrium. tectum. tectus. dum. repetit
Addit. ad. virtutem. dolum
Vt. vnus. Chriſtianus. Horatius
Ternos. conficiat. Tartareos. Curiatios
Auerſo. aduerſo. corpore
Fugiens. fingens
Amicos. aduerſarios. Domeſticos. barbaros
Parentes. perimentes
Triumphat
DISCE LECTOR
*Alios oppugnare nemo non auſit. Semet vix non nemo.*

*Mediolani in adyto, seu interiori parte Templi S. Pauli ad sanctimoniales prænomine Angelicas Aram Beato Aloysio Gonzagæ erectam, vbi tabellæ, ac sigilla plura votiua, Inscriptione instruximus triplici; Lecturis autem dumtaxat fœminis, stylo planiore.*

*In Fronte*

B. ALOYSIVS GONZAGA
E. Societ. Iesu
Natalibus. Vita. Obitu
Princeps. Religiosus. Beatus
In. Terris. Sanctus
In. Hominibus. Angelus
Nomine. præsens. &. Numine
Hic. colitur
M. DC. XXXVII

*In dextero cornu sub imagine B. Francisci Borgiæ.*

B. FRANCISCI BORGIAE
Consanguinei. Socij. Contubernalis
B. ALOYSIO GONZAGAE
Quem. illi. triplex, funiculus. copulauit
Imaginem. Memoriam. Venerationem
Pietas. disiungi. non. patitur

*In Leuo sub imagine B. Stanislai.*

Habes. Spectatrix
In. imagine
Viuum. B. STANISLAVM. à. Kostca
In. B. Stanislao
Viuam. imaginem. B. Aloysij
Iisdem. ipsis. lineamentis. expressam
Nobilitatis. Instituti. Moris. Mortis
Tu. verò
Mirare. Sanctorum. æmulationem
Æmulare. sanctimoniam

*Diuum*

*D. Bonauenturam in eius Festo, an. 1656. Academia Cangiatorum Florentiæ Tutelarem nuncupauit suum, dictata per nos hac Epigrapha ac supra ianuam exposita.*

DIVVS
BONAVENTVRA
Inter . Mortales . Angelus
Inter . Angelos . Seraphinus
Patriarchæ . Seraphici . heres . ex . asse .
EVANGELICA
Humilitate . sublimis
Virginitate . fœcundus
Obedientia . Rex
Nuditate . beatus
RELIGIOSA
Supra . modum . Modestia
Vltra . vires . Virtute
Citra . exemplum . exemplo
CAELESTIS
Oraculum . Sapientiæ
Spectaculum . Innocentiæ
Miraculum . Vitæ .
In . cinere . amiculi . ignem . charitatis
In . purpura . Vaticana . cinerem . humilitatis . fouens
DEVM
In . humanis . anhelans . amore
More . spirans
Sydus . nunc . Cæli . melius
Olim . Etruriæ
Academiæ . Cangiatorum . Florentiæ
Tutelaris . electus
Feliciter . suppliciter
Accensis . Iteratis
Votis . Votis

*Ad Monteuarchium in agro Florentino, rogatu Ioannis Lapij Canonici Fesulani, fouendo studio piæ plebis Epigrapham hanc leuidensem exprompsimus Aediculæ exornandæ.*

Quam.

Quam. visis. Aediculam
Viator
Prima. fuit. sedes. Imaginis.
DIVAE. VIRGINIS
A. LILIO
Nuncupatæ
Cùm. multis, mirandis. prodigijs
Tùm. arido. iam. lilio, reflorescente
Celebris
Quæ. religiosiùs. vt coleretur
In. proximè. excitatam. Aedem
Insigni. mortalium. confluentium. pietate
Translata. est
An. Sal. M. D. C. X L.
Tu. Te. cautus. adorna. sedem. Virgini
Quæ. pascitur. inter. lilia
Arensq. à. sacro. fonte. candor. innocentiæ
Fac. reflorescat

*Mediolani, In Basilica Diui Stephani, olim Ad Rotam nuncupata, hodie In Brolio; sub Effigie Rotæ testaceæ vetustissima memoriam facti ex historijs petitam ita descripsimus; simplici narratione contenti. Videlicet*

Quisquis
Hanc. suspicis
ROTAM
Monumentum. habes. cruentissimi. prælij
Catholicos. inter, & Arianos
DIVO. AMBROSIO
Ecclesiæ. Mediolanensis. Antistite
Cuius. precibus
Concurrens. antè. promiscuus
Cæsorum. sanguis. Catholicorum
Cum. hæreticorum. sanguine
Repente. in. Rotæ. figuram. concretus
Sacrum. à. profano. discreuit

Cogno-

Cognomentumq. fecit. huic. Basilicæ
Quòd. in. eius. pauimento
Qui. ex. aduerso. Rotæ. iacet
CAVVS. LAPIS
Prodigiosè. huc. deuolutum. pium. cruorem
Exorbuit.
Tu. memoriam. venerare. miraculi
Vestigium. adora

*Transmissæ ad nos fuerant Mediolano à Fabricæ Præfectis Templi Metropolitani formæ tres Inscriptionis in eius Templi fronte collocandæ: Vt, quæ multò euaderent prolixiores, quàm spatium ferret Tabulæ inscribendæ (quæ quidem tabula loco quam editissimo destinata, atque ab areæ solo aspectum distantia immani protractura, Cubitales vt minimum exigit literas, vt oculo legi; perpaucas omnino, vt spatio comprehendi possint) Nos ad iustæ breuitatis modum cogeremus: Conati id fuimus, sed reluctante Genio, rati, Apelleis nos tabulis admouere manum. Verùm in huiusmodi argumentis plus dandum esse iudicio, quàm ingenio, satis monuimus Epigraphicæ nostræ lib. 1. tit.* Elogium Quantum sit, seu Elogij moles, *vbi quantitatem Elogij definiuimus. En igitur contractæ Inscriptionis formas quinque ad spatij simul, & prospectus rationem compositas, minimèque fucatas.*

I.

D. E. O
DEIPARAEQ. NASCENTI
CIVITAS. MEDIOL.
PRO. SERVATA
FATALI. AB. INTERITV
MASCVLINA. PROLE
VOTIVVM. HOC. TEMPLVM
EXCITAVIT
AN.....

.V

DEO

II.

DEO
DEIPARAEQ. NASCENTI
CIVITAS. MEDIOLANENSIS
PRO. AVERSO
MASCVLINAE. PROLIS
FATO. TRISTISSIMO
VOTIVVM. HOC. TEMPLVM
A. FVNDAMENTIS
ER

III.

D O M
DEIPARAE NASCENTI
CIVITAS MEDIOLANEN.
PRO. DEPVLSA
FATALI. ORBITATE. MASCVLINAE. PROLIS
AVGVSTVM. HOC. TEMPLVM
D D
PERPETVVM. VOTI. SVSCEPTI
MONVM

IV.

D . O . M
MAGNAE . MATRI . MARIAE
NASCENTI
CIVITAS . MEDIOL
IN . COMMVNI . LETHO
MASCVLINAE . PROLIS
SOLITVDINI . PROXIMA
VOTIVVM . HOC . TEMPLVM
EXORATAE
D . D

V.

V.

D . O . M
DEIPARAEQ. NASCENTI
CIVITAS. MEDIOLANENSIS
PRO. VITA
PVEROR. MARIVM
VOTO. SVSCEPTO

*Porrò has Epigraphas cùm & redditas Præfectis, & minimè improbatas accepissemus, inter deliberandum, quàm potissimè vellent delectam operi: Ecce repetitis casu Annalibus patriæ, ac diligentiùs excussis, nec talis memoriæ, quæ vulgò circumferebatur, certo apparente vestigio, simul ponendi id marmor consilium euanuit.*

*Mantuæ, mutata sede Patres Ordinis nostri, cùm Aedem Diuo Carolo dicatam, vt antè, de nouo panderent, aditum Inscriptione gemina per nos transmissa exornarunt.*

I.

DIVI. CAROLI
Sacra. ædes
Vetere. procul. hinc. deleta
Hic. noua. consurgit
Regione. Aditu. Amplitudine
Opportunior
ACCVRRE. CIVIS
Patroni. tui. sacrum. limen
Prouolutus
Agnosce. venerare
Opportunitatem. religione
Commoditatem. frequentia
Vestigium. voto
Compensa

II.

NOVVM
Diuo . CAROLO . tutelari
Dum . panditur . Templum
Serenissimi . Ducis . auspicio
NOVAM
Gratiarum . segetem . metit
Sodalitas . Clericorum . Reg. S. Pauli:
Cui . VETVS . est
NOVA
In . dies . accipere . à . tanto
Principe . beneficia;
Vt . vel . hoc
NOVVM
Munificentiæ . prædicetur . exemplum
Quod . numquam . fuerit
NOVVM
VETVSTISSIMAE
Gonzagæ . Stirpi
Munificentiam . in . omnes
Exhibere

*Alexandri Sauli ordinis nostri Alumni egregij, ad Episcopatum Aleriensem, inde ad Ticinensem promoti, notissimæ probitatis viri (cuius Apotheosis per Romanum Pontificem propediem speratur) virtutes insigniores, ac gesta nos aliquando digesseramus in breuissimas ad moralitatem Epigraphas, quibus historia per iconas theatro destinatas animaretur. Ex his paucas fortuito superstites incendio hic referimus, in memoriam Præsulis de Nobis, atque Ecclesia multo meritissimi.*

*Mu-*

*Munus Euangelici Oratoris.*

O. miram. Ingenij. cum. sanctitate
Coniurationem
Ita. sanctitas. Exemplorum. ferax
Ita. Ingenium. Eloquentia. pollens
Vt. dum. vtramque. in. Oratorio. &. Apostolico
munere. iungit
Exemplis. facta. Dicendo. lachrymas
A. concione. exprimeret

*Carnis castigatio.*

Corpori. non. pepercit
Animam. à. Corpore. prorsus. vt. aliam. faceret
Sæpe
Nequid. in. spiritum. moliretur
Ieiunijs. flagris. cruciatibus
Domuit
Nondum. arma. in. carnem. parabat
Cùm. subito. opprimebatur.
Ita. qui. vigilant. insidias. præcauent
Non. expectant

*Angeli titulus, & Apostoli, cùm ad Ticinensē Episcopatū traduceretur.*

Pontifex. Gregorius. XIV.
ANGELVM
Cyrni. Populus
APOSTOLVM
Appellauit
Vtraque. Dei. vox
Quòd. Pastoris. Quòd. Populi
Quid. magis. Angelicum. quàm. Virginitatem
Perpetuò. coluisse?
Quid. magis. Apostolicum. quàm
Paupertatem?
Angelum. igitur. Habes. Apostolum. Habes
O. Ticinum

*Raptus mentis, fulgor capitis, cantus Cælestis.*

Verè. Episcopus. qui. verè. vigilauit
Noctem. precibus. continuauit
Qui. diem. operibus. claudebat
Noluit. Deus. hæc. latère
Ad. se. extasi. raptum. sæpe. traxit
Caput. fulgoribus. cinxit
Fessum. cælesti. carmine. recreauit
Audite. Mortales
Colenti. Christum
Etiam. in. tenebris. lux
In. silentio. concentus
In. terris. Cælum. est

*Mortis præsagitio; Empyreique conspectus.*

Qui. vixit. vt. semper. moriturus
Mortuus. est. vt. semper. viuat
Ipse. lumen. aduentantis. Vitæ. æternæ. longè. prædixit
Tibi. Ticinum. luctus. tuos. sibi suam. beatitatem
Prophetauit.
Mortem. vidit
Quòd. à. tenebris. vitæ. ad. Cæli. fulgorem
Properabat
Ijs. Mors. obscura. est. quibus. Vita. lux. est
Mors. exitium. &. caligo.

*Memoriæ non tam facti, quàm religioni propagandæ in finitimos populos, agrorum curà agrestes in animos facile declinantes; tum vt peruersam illam vsurpationem vocis* Cognatus *nonnullis illapsam proscribamus ( de qua satis in nostra Epigraphica Lib. II. Memb. XII. sub vocib.* Nepos ex Fratre, &c. §. Restat, vt quærenti*) placet positum olim à Nobis Marmor, scalpro quantuncunque facili, ad puram historiam incisum huic paginæ consignare.*

D.

D . O . M

Sacrum. Cadauer. Diui. Faustini. Martyris

Cum. alijs. Martyrum. Reliquijs

è. Cœmeterio. Calisti. Romæ

Extractum

Octauius. Boldonius. Mediolanensis

Clericus. Reg. Diui Pauli

Tretianum. Diœcesis. Mediol. Pleb. Tretij

Asportatum

Et. Comiti. Hiacyntho Scoto

Liuiæ. Boldoniæ. Sororis. Viro

Dono. datum

In. hoc. eius. domestico. sacello

Honorificè. condidit

CIƆ. IƆ. C. XXXXI

* Ad. præsidium. Larium. tutelam. aruorum

* *Siquidem patet hic locus excursionibus latronum, ex quo Vrbs Bergomum (cuius ager finitimus) simul & Brixia à prouincia Mediolanensi distractæ in Venetorum ditionem cessere. Alpium quoque propinquitas minaces frugibus tempestates sæpe afflat.*

*Significauerat nobis, rumore Roma perlato, Volumnius Bandinellius Institutor tùm adolescentiæ Sereniss. Principis Etruriæ (post paulò Presbyter Card. S. R. E.) consilium Alexandri VII. Pont. Max. de consignanda marmori sumptuoso Memoria Præcessoris olim sui, ac Ciuis inclyti, Cognominis proinde ac Tutelaris, Alexandri III. Iubens nostrum nos quoque stylum in id argumentum stringere, transmittendum cum alijs ad Pontificem; ne minus ipse studiosus videretur illius Herois ornandi, cui titulo Gentilitatis, serie quidem rectà deductæ, non solum Ciuitatis, esset coniunctus. Non licuit nobis plurimo nomine illi obstrictis detrectare, refragante licet ingenio, prouinciam in congressu tot literatorum plenam aleæ. Verùm perbellè fortuna fauit. Nam cùm haud cunctantes fudissemus Elogium, serum tamen fuisse nuncium ad Bandinellium, serumque consilium, euentus probauit. Perlatis siquidem Romam, & redditis huius literis nostram inuoluentibus paginam, renunciatur,*

*ciatur, anteuertente Præfecto operis, Marmor iam tum positum in Lateranensi Basilica, literis autem sub auro, quod & aureæ sententiæ, & opus magnificentissimum. Ita frustratus spe Bandinellius, iussit, inter scriptiunculas saltem nostras, si quando luci committerentur, illam quoque Inscriptionem referri, quam & habes hic, lector.*

---

Mem. Sacr.
ALEXANDRI. III. PONT. MAX.
Ex. nobili. Bandinella. gente
Patricij. Senensis
Q V I
Priscæ. sanctitudinis. prudentiæ. doctrinæ
Omniumq. summarum. virtutum
Prærogatiua
Per. legitima. suffragia. ad. Ecclesiæ. puppim
Accitus
Sedit. intrepidus
Coorta. licet. minacissima. tempestate
Et. inter
Frementis. Orbis. dissidia. atq. armata. odia
Ita. pertinax. tenuit. clauum
Vt. Sedis. Apostolicæ
Iura. concussa. ac. pene. conuulsa
Vindicauerit
Auctoritatem. erexerit. fundauerit. auxerit
Sed. &. parta. tantis. laboribus
Pace. atq. aurea. tranquillitate. vt. posteros. quoque
Demereretur
Coacto. Generali. Concilio. Lateranensi
Præcauit
Futuris. deinceps. Comitijs
De. subrogando. Pontifice. Maximo
Saluberrimas. aduersus. vim. &. ambitum. leges. condens
Annuente. tantis. cœptis. Deo
à. quo. promeritæ. immortalitatis. arrham. accepit
Cur-

Curſum . mortalis . vitæ . ac . Pontificatus
Diuturnum.
Cùm . ſediſſet . annos . XXII . ſeptiduo . minus
Natus.ann. . . . . Denatus.an.ſal. M.C.LXXXI. vi.Cal.Sept.
Ac . in . Lateranenſi . Baſilica . tumulatus
ALEXANDER . VII . PONT. MAX.
Patria . coniunctus . ſucceſſione . heres . & . nomine
Deſideratiſs. Ciui . ac . Præceſſori
Imagine . & . Elogio . poſito
Extinctos . reſtituit . vultus
Cineres . animauit
M . D . C . L . V . I . I . I
Pontificatus . ſui . An. V

*Deſideratur in hac noſtra Inſcriptione Apotheoſis quadruplex per Alexandrum III. celebrata, de qua Nos quidem certiores paſſæ non ſunt fieri anguſtiæ temporis. Vt autem rei tam memorabilis reticentia ſuppleatur, ſimul ocyus propagetur ad exteros Elogij recens poſiti magnificentia, placet exemplum hùc aſſerere; tametſi non fugiat, oppoſitu Solis faculam noſtram extinctum iri. Ita vero legimus:*

ALEXANDRO . III . PONT. MAX
Nobili . Bandinella . gente . Senis . nato
Qui . difficillimis . temporibus
Eximia . pietate
Summa . prudentia . ac . doctrina . Eccleſiæ . præfuit
Annis . XXII . inuicta . fortitudine . atq. conſtantia
Apoſtolicæ . Sedis . iura
Auctoritatem . Dignitatemq. retinuit
Et . poſt . immenſos . labores
Ac . ſolicitudines . pace . parta
Oecumenicum . Lateranenſe . Concilium
Celebrauit
Sanctiſſimas . de . Eligendo . Summo . Pontifice
Deq. vi . & . ambitu . coërcendo
Leges . tulit

Tho-

Thomam. Cantuariensem. Antistitem
Bernardum. Clarauallis. Abbatem
Quos. viuentes. amicissimos. habuit. Eduardum
Angliæ. Canutum. Daniæ. Reges
Sanctorum. numero
Adscripsit
Plurimisq. aliis. maximis. rebus. gestis. vitæ. demum. &
Gloriæ. cursum. confecit. An. Sal. M. C. LXXXI. Kal. Sept.
ALEXANDER. VII. PONT. MAX.
Nominis. &. muneris. in. Ecclesia. successor.
Pontifici. tanto. Ciui. suo
Pios. cineres. veneratus. posuit.

*Sestini in Vmbria (est oppidum nullius Diœcesis) in Templo Archipresbyterali, Dedicatio Aræ.*

D. O. M.
MARIAE. DEIPARAE. FRANCISCO. SERAPHICO
Tutelaribus. Diuis
Hanc. Aram. de. integro. condidit. dicauit. dotauitq.
Vti. Sacrum. Secunda. quaque. feria. in. perpetuum. fiat
Pijs. Manibus. Parentum. Posterorumq. subleuandis
Franciscus. Freduccius. Sestinensis
Canonicus. Florentinus. in. Laurentiana. Basilica
Serenissimoq. Cosmo. Etruriæ. Principi
Præfectus. Sacrorum
Sed. &. liberalitas. Amplissimi. Præsulis
Hectoris. Herculani
Archipresbyteri
Concessit. locum
M. D. C. L. VIII

*In Eminentiſs. Card. Pallottum Diuæ Mariæ Lauretanæ in Vrbe Patronum.*

In. Hac. AEde
Auguſtæ. Virgini. Lauretanæ. Dicata
Nationi. Picenæ. fundato. Sodalitio. attributa
Pijs. inſtitutis. Statis. ritibus. Feſtis. apparatibus
Florentiſſimis. concionib.
Conſecrata. illuſtrataq.
Ne. tanti. Numinis. præſentia. &c. Maieſtas
Apud. Picentes. Romæ. deſideraretur
Splendidè. perfecit
Io. Baptiſta. Pallottus. Card. Patronus. Nationis
Qui
Religionem erga Diuam.ipſam. materno.cum. lacte.ſugens
In. varias. deinceps. Orbis. plagas. ſtudioſiſſimus
Inuexerat
Ferrariam Prolegatus
In. Luſitanos Collector
Cum. facultate. Nuntiaria
In. almam. Vrbem Gubernator
In. Germaniam. Nuntius
Extraordinarius. Ordinarius
Ferrariam. iterum Cardinalis.legatus
Romam. denique Rudiarius
Immortalibus. eius. meritis
Perenne. hoc. teſtimonium
Natio. Picena. Grata. Poſ.
M. D. C. L. X
Viuat. Diù . Diù. Viuat
Patriæ . Purpuræ . Religionis
Ornamentum . Incrementum . Incitamentum.

*Aliter.*

Io. Bapt. Pallottus. S. R. E. Cardinalis
Religionem. in. Diuam. Virginem. Lauretanam
Quam
Cum. vitæ. aura. ſimul. hauſtam
Remotiſſimis. in. terris. tenaciſſimus. coluerat
Nobilitaueratq.
Ferrariæ Prolegatus
In. Luſitania. cum. facultate, Nuntiaria. Collector
In alma. Vrbe Gubernator
In. Germania. Extraord. mox. Ord. Nuntius
Ferrariæ, iterum Card. Legatus
In. Vrbe, tandem redux
Conſtabiliuit
Addicta. illius. cultui. hac. AEde
Fundata. Nationis. Picenæ. Sodalitate
Inſtitutis. pijs. ritibus. Feſtiſq. ſolemnibus
Et. menſtruis. in. Cœtu. frequenti. Purpuratorum. Concionib.
Animo. Regiè. Chriſtiano
Maiora. adhuc. moliens
Hoc. qualecunque. gratiſſimi. animi. teſtimonium
à. Natione. ſibi. conſtitutum. habeto
An. Sal. M. D. C. L. X

*Colle, in Caſtro Vallis Nebulæ, agri Piſcienſis in Etruria, ſub ſtatuis binis SS. Angelorum eximij operis, in AEde Laurentiana, ad Aram Maximam.*

SS. ANGELIS
IOANNES. LANDVCCIVS. COLLENSIS. CERTO. AERE. LEGAVIT
IVLIANVS. FRATRIS. FILIVS. LARGIORE. PRAESTITIT
VT. PRAESTITES. ADSINT
M. D. C. X. X. X. X. I I

Rogatu

*Rogatu Michaelis Iustiniani Abbatis, ponenda Leucæ, Salentinorum vrbe, in Templo, quod vulgò Caput Sanctæ Mariæ, ad nouum Amphitheatrum.*

PHILIBERTVS. AB. ARAGONIA
Ex. inuictiss. Barcinonen. Comitum. stirpe. & Augustiss.
Regib. Aragon
Regulus. Ayeruæ . Dominus. Domi. Infantis
Petri. Ayeruæ. Filij. Iacobi. primi. expugnatoris
Comes. Simerius. VII. . Marchio. Cryptæ. aureæ. V
Princeps. Cassani. II
Cathol. Hisp. Regi. Philipp. IV. feliciter. regnanti
Duodecimo. consanguinitatis. gradu. coniunctus
Domicilium. hìc. sortitus
Nuptijs. Laureæ. Guarinæ
Antiquæ. Dominæ. Acquaricæ. Ducis. Alessani
Vt. Regni. Neap.
Victricibus. armis. Sancij. Ayeruæ
Successorumq. Gentilium
Cum. Alphonso. Rege. Aragon. parti
Propugnaculum. foret
In. hac. ora. Barbarorum. inuasionibus. obnoxia
DIVAE. VIRGINI
Miraculis. hìc. præsentissimæ
Prolem. masculam
Ab. longa. coniugis. sterilitate. susceptam
Referens
Amphitheatrum. hoc. &. marmor. votiuum
Concordi. pietate. D. D.
M. D. C. L. X. I. V

*Prati in Etruria, Inſcriptio Aræ Diuo Ioſepho morienti extructæ, in Diui Franciſci, ad Tumulum Dominici Equitis Pandolfinij.*

DIVO. IOSEPHO. CONIVGI. DEIPARAE
MORIBVNDO
ARAM. HANC. POSVIT. ORNAVITQ
EQV. DOMINICVS. PANDOLFINIVS. PRATEN
FRETVS
PRETIOSAM. ILLIVS. MORTEM
VITAE. SIBI. IMMORTALIS. PRETIVM
FORE
M. D. C. L. V

*Liburni in Etruria, ad Diui Sebaſtiani, erecto Gymnaſio publico, eiuſque moderatione Ordini noſtro Cõmendata, patuit initio Theatrum literarium, dignum ingenio, ac eruditione ſpectatiſſimi Patris Io. Victorij Briantij Mediolanenſis, qui curis preſſus innumeris, Præfecturæ Collegij noſtri, Sacræ Pænitentiariæ pro Illuſtriſſ. Archiepiſcopo, S. Inquiſitionis, Cathedræ Theologicæ, vix vnum à Nobis Elogium exegit abſoluendo Theatro, cuius argumentum fuit:* Literatura firmari Fidem in Deum. *Nos ita dictauimus.*

Agite. Liburnenſes
Reparate. arenam. literariam
Chriſtiano. dignam. Athleta.
Proſtat. brauium
FIDES. IN. DEVM
Cor. Hominis. Cordis. Anima. Animæ. Vita.
Ingenium. ea. petit
Simplex. non. brutum
Senſibus. abdicatum. Non. literis
Raſam. Non. rudem. tabulam
Obedientiæ. victimam. Non. inſcitiæ

Tal-

Talpam . Argum
Ad. credenda . ad. credibilia.
Sic. Fidei
Nocturnum. lumen
In. Cælo. Mentis. diffusum
Inter. astra. literaturæ. multiplicis
Gloriosiùs
Fulgebit.

*Mediolani in Templo Diui Alexandri Mart. apud Patres Ordinis nostri perquàm magnificè instaurato, Sacellum est Diuo Pancratio Martyri dicatum, translato titulo ex diruta non procul Aede, quam pium vulgus* Oratorium *appellabat; quamque appellationem tenere nos iussit fides historiæ in altera Inscriptionum; vt & in vtraque castitatem styli puritatemque pressam indixit breuitas Tabellarum hinc inde, è luculleo marmore, auro literarum, Emblematumque lepore compensata. Videlicet: A cornu dextero.*

PANCRATIANA. SODALITAS
QVINTO. SECVLO
AB. ERECTIONE. COMPLETO
ORATORIVM. CONCESSIT. CLERICIS. REG. S. P.
ARCHIEPISCOPO. ANNVENTE
EX. TAB. PVBL. IO. BARTHOL. ORMEZANI
XV. KAL. SEPT.
M. D. C. V.

*A Leuo.*

DIVI. PANCRATII. MART.
AEDES
AMPLIFICANDO
ALEXANDRINO. TEMPLO
COMPLANATA
HOC. SACELLO
RESVRGIT.

V *Floren-*

*Florentiæ, in argenteam Hierothecam (opus magni sumptus, quale exigebat pia magnificentia Alexandri, & Antonij Fratrum Mediceorum; Magnique artificij, quale spondebat præcellens ingenium M. Antonij Merlini Ciuis Bononiensis) quæ Aram maximam exornat celeberrimi totâ Italiâ Templi Diuæ Virginis (vulgò) Annuntiatæ, cuius quidem priuatum Sacellum è regione Aræ maximæ totum collucet argento solido, ac gemmis: Nos Epigrapham rogati, longè angustissimo vnius dodrantis cogendam spatio, quinas ipsas obtulimus, arbitrioque ipsi nostro relictis, postremam ordine commisimus operi.*

I.

ALEX. ET. ANT. FRR. FLOR. VITALIS. MEDICEI. FF
ARGENTEAM. HANC. CELLAM. EVCHARISTIAE. SS
TRIBVTVM. ET. VOTVM. DD
CIↃ. IↃ. C. L. V

II.

ALEX. ET. ANT. FRR. VITALIS. MEDICEI. FF. FLOR
ARAE. MAXIMAE. SPLENDIDIVS. ORNANDAE
EVCHARISTIAE. SS. AVGVSTIVS. CONDENDAE
CIↃ. IↃ. C. L. V

III.

ALEX. ET. ANT. MEDICEI. FRR. VITALIS. FF. FLOR
NE MINVS.HONORIFICE.MATRE. FILIVS.HOC. IN.TEMPLO. COLERETVR
AERE. SVO. STATVERVNT. M. D. C. LV

IV.

ALEX. ET. ANT. MEDICEI. VITALIS. FF. FLOR
SANGVINE. AC. VOTO. GERMANI. HANC. MOLEM. SS. EVCHARISTIAE
COMMVNI. AERE. CIↃ. IↃ. C. L. V

V.

ALEX. ET. ANT. FRR. MEDICEI. VITALIS. FF. FLOR
ARGENTEVM. HOC. DEO. TRIBVNAL
CLEMENTIAE. SYMBOLVM. AC. VOTVM. MORITVRI. DD
CIↃ. IↃ. C. L V

*Fani in Piceno ſub Imagine picta, in ædibus Andreæ Pilij Patritij Fanen. vitam eius gentilis ibi expreſſi ſimillimam metamorphoſi, res præclarè geſtas, miracula quoque ex vulgi dumtaxat fama, rogati ita deſcripſimus, vt licuit ab æſtu maris diutino, longèque moleſtiſſimo vix tùm reſpirantibus.*

IOANNES. PILIVS. FANEN
Seuerioris. Franciſcanorum. diſciplinæ
vulgò. Capuccinorum
Ex. Impugnatore. Propugnator. Alumnuſq.
è. Saulo. Paulus
Prædicator. egregius. Diuini. verbi
Nec. ignobilis. Scriptor
Animos. mortalium. errantes. dictione. correxit
Abiectos. erexit. in. Cælum
Scala. Iacobi. ſymbolicè. deſcripta
Illuſtratiſq. interpretatione. ſui. Ordinis. Conſtitutionib.
Voce. iuxtà. &. ſtylo. oraculum
Miraculum. vita
Simul. &. miraculis. editis
Adeptæ. ſibi. beatitatis. oraculum
Deceſſit. Caſtri. Durant. in. Piceno
AN. M. D. XXXV.

Peru-

*Perusiae, in Vmbria, in AEde Diui Herculani Ep. & Mart. apud Clericos Reg. nostri Ordinis, Imaginem pictam Sanctiss. Praesulis Neapoleonis Comitoli, de ordine optimè meriti, cùm ibi tùm munus gereremus Praepositi, ita inscripsimus.*

---

NEAPOLEO. COMITOLVS
Episc. Perusinus
Collegij. Clericor. Regul. S. Pauli
Templi. S. Herculani. Episc. &. Mart.
Religionis. in. sacram. Christi. Sindonem
Fundator. Instaurator. Propagator
Imaginem. Sui. hac. in. tabula
In. Se. vitae. Caelestis. expressam
Exhibet.

---

*Ad Oppidum Pisciam in Etruria, Sacellum Villae Illustrissimi Cecchij Praepositi Pisciensis, binis eius rogatu Monumentis marmori committendis instruximus; sed altero, ad dexteram aliter, atque aliter. Videlicet*

---

D. O. M.
Ioannes. Bapt. Praep. Piscien. Et. Franciscus. Eques. S. Steph.
Fratres. germani. de. Cecchijs
Antonij. I. C. Filij
Dominici. Militiae. Ducis. Nepp.
Continente. Suburbano. funditùs. exaedificato
Circumiacente. Agro. proscisso. excultoq.
SACELLO. HOC
* Diuis. Cognominibus. Dedicato
Opportunum. sibi
Receptum. à. curis . Solamen. Genii
Arenam. pietatis . Arrham. beatitatis
Vnanimes
Constituere.
M. D. C. L. X. V. I.

---

*Aliter.*

*Aliter:*

D . O . M

Io. Baptista. Cecchius: Præpos. Piscien

Et. Franciscus. Eques. S. Steph.

Antonij. I. C. FF. Dominici. Militiæ. Ducis. NN.

Rure. culto . Villa. excitata

SACELLVM. HOC

Coronidem. operis

* Diuis. Cognominibus. Dedicarunt

Quorum. exciti. exemplis

Alterius. Indicis

Ad. Diuinum. Agnum. iter. anhelant

Alterius. amore. Iesu. transfixi

In. opera. pietatis. exardescunt

De. transitu. à. rusticanis. delicijs, ad. Cælestes

Sub. tantis. patronis. haud. diffisi.

M. D. C. L. X. V. I

* *Asterisco vtrobique significari volumus, Imagines ibi depictas Diuorum, Ioannis indicem tendentis ad Agnum, Christi Symbolum, & Francisci Seraphici gestantis stigmata Crucifixi.*

*Altero monumento è regione ponendo.*

TRINO. ET. VNI. SACR.

Sacelli. huius. Præfectura

Quod. continenti. Villa. &c. Prædio. attributis. dotauit

Concors. Cecchiorum. germanorum. pietas

Ioannis. Bapt. Præp. Piscien.

Et

Francisci. Equ. S. Steph.

Vni. Gentilium. sorte. vocato

In. serie. Nepotum. ac. Posterorum. perpetua

Vt. cum. annexis. Sacerdotio. eidem. oneribus

obueniat. Destinauit

Quod. vel. in. viuis. primùm. est. præstitum

Vt. ex. publ. Tab. Antonij Pij. de. Cecis

V. Octob. M. D. C. L. X. V.

*Piſciæ in Suburbio, Sacellum conterminum Ædibus Gentis Marchiæ.*

D I V I S
Iuliano. Martyri. &. Ludouico. Regi
Geminis. Cæli. luminibus
Vt. Cognominum
Iuliani. Aui. &. Ludouici Patris
Bene. de. ſe. merentium
Inoccidua. fiat. memoria
Balthaſſar. Marchius. Equ. S. Steph.
Excitato. hoc. Sacello. &. Ara
Commendauit
M. D. C. L. X. V. I.

*Ibidem, in Diuæ Mariæ (vulgò) Annunciatæ apud Patres Ordinis noſtri inſtituta Sodalitate A ſuffragijs Italicè nuncupata, in quam Sodales certo ære in annum collato, Centum Hoſtijs à funere primùm ſigillatim, inde alijs perpetuis in communi iuuantur; primam eius celebritatem Epigraphis ſeptem expoſitis, ad pietatis maius incitamentum decorauimus, quarum prima frontem Templi externam occupabat, Videlicet.*

I.

B E N E. E S T
P I S C I E N S E S
Sodalitatem. Suffragationis. Profeſſi
De. Immortalitate. ſoliciti
Morte. proſpecta.
B E N E
Morituris. vobis
Subſidia. ipſi. viuentes

Præ.

Præmittitis.
Solitariæ. egestatem. Animæ
Maturo. commeatu
Prohibetis.
Purgatorios. ardores
Intempestiuo. imbre. piarum. largitionum
Tempestiuè. compescitis:
Funus. facibus. præmunitis.
Sic. bellè
In. Morte. Vitam
In. Solitudine. Solatium
In. cruciatu. delicium
In. nocte. diem
Nancifcemini.

II.

Hominis. vita. Fabula
Piscienses
*Heu . Vanitas:*
Canite. dignis. saltem. Homine
Argumentis
Plaudite. benefactis.
Mors. Tragœdiam. efficit
*Heu . Facinus:*
Claudite. Tragœdiam. morte
Ne. subsequens. Actus
Alteram. inchoet.
Semper. morientis. vitæ
Nunquam. moriturae. mortis
Tragœdiam.

III.

Habes. Homo
Superbiæ. tuæ metam
Cineres:
Caueto. ne
Cum. cineribus ignem.
Vt. caueas
Præmitte. fatali. cineri
Ignem. charitatis
In. Deum. in. Homines
Incenso. fragranti. rogo
Piorum. operum.
Sic. ignem. igne. restingues:
Sempiternum. Tartari
Eludes. æstum
Excludes. œstrum.

IV.

Viuite. diu
P I S C I E N S E S
Viuite. Deo
Et. Vitæ. probitate. præcurrite
Improbitatem. Mortis
Obscuro. calli. periculoso. tramiti
Præuiam. virtutum. facem
Adhibete.
Ita bellè
Viuentes. moriemini
Morientes. viuetis.

V.

O. BENE
Credita. ſubſidia. Mortales
QVAE
Non. iniurium. Tempus. abſumet
Non. impius. Heres. diripiet
Non. obliuioſus. Nepos. retardabit.
INSANIT
Quiſquis. ambiguus. Obſeſ. fidei
Hoſpes. Plutonis. certus.
Igneo. pretio. alimenta
Paciſcitur.

VI.

Ecce Draco exanimis. Dedit Hoſtia Dia triumphum
Non vigil externum territat ille pedem
Ora patet felix. Licet aurea carpere poma:
Horti ritè notant Heſperij Empyreos.

VII.

Extremam reputas animo ſi funeris horam,
Conſilio & fati ferrea iura præis:
Grata tibi efficitur proſpecti inſtantia lethi.
Tutus & ambiguo ſidera calle premis.
O bene prouiſum pro damno dona miniſtrans
Funus. An hoc funus? Prouide, fœnus habes.

*In Academia Arcimboldia Mediolani ad Diui Alexandri apud Patres Ordinis nostri, post aliquot Declamationes, quibus probatum est, Cognomento Apostoli quàm meritò donauerint Alexandrum Saulium Episcopum incolæ Cyrni insulæ, vbi is Ecclesiam Aleriensem ad annos viginti sanctissimè rexit; hæc à Nobis dictata Extemporalis Epigraphe, fronti Academiæ est imposita.*

ALEXANDRO. SAVLIO
V. Sanctissimo
Ordinis. Clericorum. Reg. S. Pauli
Alumno. Præsuli. Tutelari
Ad. Aleriensem. in. Cyrno. Pontificatum
Coacto. Genio. trahente. Cælo
Concedenti
QVEM
Equestrium. abdicatio. fortunarum
Seruatum. Virginitatis. decus
Euangelicæ. studium. Eloquentiæ
Inuictus. in. Re. Christiana. instauranda. labor
Ex. omine. certo
Cognomine. Apostoli. honestarunt
Ex. Alexandro. Paulum
Ex. Saulio. Saulum
Ex. Episcopo. Apostolum
Repente. factum. suspiciens
ACADEMIA. ARCIMBOLDIA
Admirabunda, Venerabunda
P.

Sub

*Sub imaguncula Christi D. Crucifixi, spirulam iussi inscribere, ita variè lusimus.*

I.
MORS. VITAE
VITA. MORTIS

II.
MORTIS. MORS
VITAE. VITA

III.
MORTIS. TVMVLVS
VITAE. THALAMVS

IV.
MORTIS. FERETRVM
VITAE. FERCVLVM

V.
EXTINCTORI. MORTIS
REPARATORI. VITAE

VI.
PRIMOGENITO. MORTVORVM
PROTOTYPO. VIVENTIVM

VII.
MORTIS. VITAE. GRATIAE
XPO
VICTORI. AVCTORI. ACTORI

*In pictam imaginem Sacræ Virginis Catharinæ Ricciæ Florentinæ, præ dolore inflictorum sibi vulnerum à Christo Crucifixo deliquium patientis.*

En. Tibi. Spectator
CATHARINA. RICCIA
Virgo. Florentina
Sol. Gentis
Sol. Patriæ
Sol. Ecclesiæ
Stigmatibus. à. Sponso. impressis
Defectionem. patiens
Sed. in. ipsa. defectione
Tergeminos. vibrans. fulgores
Catharinæ. Senensis
Francisci. Assisinatis
Christi. Domini. Seruatoris
CERNE
Vt. ingeniosus. præ. terreno
Cælestis. Apelles:
ILLE
In. luminibus. vmbras. intendit
HIC
In. vmbris. lumina.

In Op-

*In oppido Concha, Diœcesis nostræ Theanensis, monumentum posuimus Ecclesiæ primariæ per nos consecratæ in has notas.*

D . O . M
Hanc . AEdem
Augustæ . Virgini . &. Principi . Apostolorum
Excitatam
Collegioq. Canonicorum . insignitam
Octauius. Boldonius. Mediol. Episcopus. Thean.
Anno . ab . extructione . circiter . CC
Solemni . Consecrationis . ritu . ac . celebri . pompa
Dedicauit
Petente . Flaminio . Quinquegrana . Archipresb.
I. V. Cons. Protonot. Apost.
Ac . eiusdem . Episcopi . nuper . Vicario . Generali
M . D . C . L . X V I I I.
Prid. Cal. Octob. incidente. Dominica, IV. Sept.
Quæ. &. Anniuersariæ. memoriæ. constituta
A D E S T E
Gemini . O . Diuorum . Diui
Præsides
Operanti . Oranti . Ploranti
Hanc . ad . AEdem . ad . Aram
Sacrificulo . Ciui . Confugæ
Semper . Propitij
Semper . Præsentes.

*Theani, in AEde S. Saluatoris Epigraphas binas ad latera hinc inde Cellæ rogati, ita fudimus.*
*Ad dexterum.*

D . O . M
Pium . Montem
Animis . Defunctorum . expiandis
In . AEde . Diuæ . Virginis . vulgò . Annuntiatæ
Ad . Aram . Pietatis

Insti-

Instituit.
Exin. ad. hanc. Beneficialem. S. Saluatoris
Legitimè. transtulit.
Sed. &. aucto. ære. instaurata. supellectile
Aggregatisq.
Cultui. Numinis
Solamini. Mortuorum
Excitamento. Viuentium
Sacerdotibus
Statas. nænias. ritè. persoluentibus
Stabiliuit. illustrauit. amplificauit
Perennaturum. in. posteris
Pertacturum. ad. sidera
Nicolaus. Todescus. Canonicus. Cathedr. Theanen.
Anno. supra. Millesimum, & Sexcentesimum
L. X. V. I. I.

| | | |
|---|---|---|
| Mons. coagulatus<br>Mons. pinguis | PSALM. | Mons. in. quo. beneplacitum. Deo. habitare |

L. X. V. I. I.

---

*Ad leuum.*

---

D. O. M.
Sodalitium
à. Pietate. nuncupatum
Octauiani. Caldarotæ. Canonici. studio
Humandis. Ciuium. miserabilium. cadaueribus
Intra. primariam. AEdem. Marianam. olim
Fundatum
Interq. luis. incendia. de. Anno. LVI. seculi. Sextidecimi
Extinctum
AEmula. pietate. incensus
Nicolaus. Todescus. Canon. Cathedr.
Montis. Defunctorum. Fundator. idem. &. Præfectus
Animatis. cineribus. exuscitauit

Anno. LVIII
Recentes. Sodales
Communicatis. pristinis. munijs. ac. priuilegijs
à. Monte. Defunctorum. appellans
Atratos. ministrare. præcipiens
Eorumq. gratia. in. Xenodochio. Mariano. Poluandrium
Exædificans.
Stetit. memoria. facti. iubente. Octauio. Boldonio
Episcopo. Theanensi
An. Sal. M. D. C. L. X. V. I. I. I.

*Ad effigiem in tabula Fr. Antonij ex ordine Cappuccinorum, imaginem Christi Domini Crucifixi dextera manu protendentis. Asseruatur in Villa Ducis Martiani, monumentum fratris desideratissimi, ad Castellonum (antiquitùs Vrbem Formiæ in Campania, quarto lapide à Caieta) illa ipsa Villa, quæ & prædium M. T. Ciceronis Formianum: quod & arguunt certa ad hanc diem extantia vestigia studiosis antiquitatis adoranda.*

*Elogia tria.*

*Elogium I.*

FR. ANTONIVM
Caieta
Ex. Illustriss. Laudatorum. familia
Tibi. dum. sisto. viuum
Pie. Spectator
Agnosce. Diuum. Paulum. Tarsensem. rediuiuum.
Cappuccinorum. exotica. Mundo. continentia
Non. nisi. Apostolum. refert:
Apostolica. Missio. ad. importandum. Gentibus. Euangelium
Doctorem. Gentium. inaugurat:
Prætensum. hoc. insigne. Christi. Crucifixi
Diploma. est. profitentis

Scire.

Scire . nil . aliud . nisi . Iesum . & . hunc . Crucifixum:
Terrarum . ac . Marium . tractus . immensi
Vario. sub. polo. mille. inter. obstacula. inter. discrimina
Ocyùs . per . eum . deuorati . quàm . per . te . lecti
Arguunt . Vas . Electionis
Ad . nomen . Iesu . sacrosanctum
Coram . Regibus . & . Dynastis . perferendum .
Pertulit . Hic . enimuerò
Africæ. horrentis . viscera . ex . Angolano . portu
Ad . Regnum . Matambæ. vastissimum. penetrans :
Reginam . Singam
Cum. millenis . mille. mortalibus.
Ab . se . conciliatam . Christo
Sacris. vndis initiauit
Ex . feris . homines . Ex. hominibus. Angelos. fecit
Anthropophagiam . dedocens
Esum, docens. Diuini. Agni
Ad . vitam . immortalem
Hoc . vno . illum . dices . dissimilem . Paulo
Quòd . Saulus . nunquam . fuit
Saulos. quidem. infracto. animo. ipse. perpessus
E' coniunctissimis . sibi
Cappuccinæ. adhuc . impuber. candidatus. militiæ.
Hoc . verò . supparem . illi
Quòd . si . minus . IESV . de . Cœlo
Certè . MARIAE . Matris
Quam . à . puero . statis . ieiunijs . & . obsequijs . impensè
Coluit
Aspectu . dignatus
Allocutione . animatus
Ad . salutem . Ethnicis . Euangelio . quærendam .
Hoc . omnino . parem
Quòd . Christi . causa . vinculis . dirè . constrictus
Primùmq. veneno . sed . impunè . propinato

Inde . inedia . extinctus
Munus . Apostolicum . Martyr . obsignauit
An. Sal. MDCLXII . V. NONAS . Iulij .
Tu . tanti . effigiem . Herois
Intuere
Virtutem . repende
Mirare. Imitare

---

*Elogium II.*

---

FR. ANTONII.
Patria . Caieta . Familia . Laudata . Ordine . Patritio
Instituto, Cappuccino
Pretiosam . pariter . Vitam . &. Mortem
Admirandorum . vtrobique . series . probat .
Nec . dum . Natus
A . matre . prægnante . votus . Diuo . Francisco . Seraphico
Furentem . Pelagum
Ipsi . familiæq. toti . naufragium . præsens, minitantem.
Pacat .
Vix . dum . abstractus . mammis
Lac . fugit . auidus . pietatis . in . Deiparam
Cuius . in . obsequium
Assiduas . preces, ac . ieiunia . seuera . instituit .
Nec . dum . Puber
Cruce . Melitesi . initiatus . Puerq. Aulicus . Magni . Magistri
Blandientem . Mundum . temnit
Insidiantem . ludit
Ferocientem . premit
Arctissimam . Franciscanorum . disciplinam . amplexus.
Vix . dum . Vir
Viro . grandior

Sera-

Seraphicis. æstuat. studijs. ferendi. in. Ethnicis. Euangelij
Suoq. irriguo. sanguine. ad. messem. hilarandi.
Nec. dum. humanis. exemptus
Iam. Cælitum. consuetudine. fruitur
Collegam. sanctissima. defunctum. vita. tùm. Virginem
Cæli. dominam
In. visu. habet
Super. voto. Missionis. Apostolicæ
Prænuntios. &. consolatores
Vix. dum. Missus
Et. visus. Matambæ. Regno
Cùm. Singa. Regnatrix. Cùm. Giagi. populi. vniuersi
Superstitionem. recepto. Euangelio
Anthropophagiam. dediscere
Humanitatis. sensus. omnes. conceptare
Facie. illa. regionis. truculenta
In. auream. nascentis. Ecclesiæ. Christianæ
De. repente. mutatâ.
Deerat
Vitæ. admirandæ. quid. nisi. Mortis. genus. adorandum?
Successit. Martyrium
Et. ipsum. geminum. Veneno. Inedia
Illo. tamen. illæsus. Hac. absumptus
Vt. in. hoc. quoque. habeant
Mortales
Et. quod. admirentur. Et. quod. adorent.
Tu. verò. Lector
Ne. putes. communi. illa. Lege. teneri.
*Ne. laudaueris. Hominem. in. vita. sua*
*Eccli. cap. XI.*
Quando. hic. noster. Cœlo. indice
Homo. supra. Homines
Gentilitium. compleuit. Nomen
Introitu. ad. vitam. Progressu. Exitu. continenter
L A V D A T V S.

Elo-

*Elogium III.*

Iam . Cæleste . Capitolium
Petenti
FR. ANTONIO
Adorna.iuſtum.triumphum
Debellata. turba. monſtrorum.
Præi. Mare.
Tibi.primùm.inhianti.præripuit.ille.prædam.ſui.ſanguinis:
Subi. Terra
Orbem. iſtum. immenſum. honorificando. Conditori
Emenſus. longè. lateq. eſt. pedes:
Pone. Tartare
Regna. tibi. peruetuſto. preſſa. dominatu. ademit
Suo. reſtituta. iuri. quia. iuri. Chriſtiano:
Adeſdum. Munde
Præſtigias. oculatus. riſit. tuas
Effuſarum. opum. dignitatum. deliciarum. neglectu:
Mox. Capita. Coronata
Impotentiam. fregit. veſtram. pocula. Circæa. fruſtratus:
Tandem. Mors
Omnium. turgida. triumphatrix
Aſitiam. hoſtem. Vitæ. implacabilem. non. inuitè. perpeſſo
Lauream. texuiſti. Vitæ. immortalis.
Quæ. verò. capita. Tyrannorum
Captiua!
Quæ. opima. ſpolia!
Quæ. gloria. triumphi!
Iam. Abi. ter. felix. Antóni
Infernis. omnibus. conculcatis. quid. niſi celerem. gradum
Tibi. ſupponeres. in. Cæli. arcem!

In Op-

H

*In Oppido Zagarolo. In Diuum Nicolaum Myræ Episcopum à Dominico Iacobatio Apelle nostri temporis, expressum ex facie Patris Ioannis Nicolai Boldonij in Diuæ Virginis vulgò Annuntiatæ, anno 1659. in Tabula super Ara Sacelli.*

Næ. Tu. Dominice. Iacobatie
Alexandrum Apellis
Nullo. olim. artificio. imitabilem
Vicisti. in. Nicolao. Tuo.
Ille. hominem. ex. Orco. Tu. Diuum. è. Cælo
Stitisti. in. terris.
Sed. ille. Alexandrum. ex. Alexandro. ipso
Ex. vero. fictum. Ex. spirante. mentientem
Fuco. artis. expresserit.
Tu. Nicolaum. altero. ex. Nicolao
Ex. vero. viuum. Ex. viuo. spirantem
Referre. maluisti.
Nec. adimit. alteri. Prænomen. Ioannis. gratiam. sed. adijcit
Nec. Tu. immerenti. Episcopalia. addidisti. ornamenta
Reddidisti. meliùs
Quæ. cum. Dignitate. ipsa. semel. &. iterum
Ab. Innocentio. X. destinata. recusauit.
Nec. requisierit. Spectator
In. hoc. Nicolao. Nicolaum. illum.
Habet. hic. obuiam
Episcopalem. Infulam. bis. oblatam
Virgines. tres. honestissimas. sed. egentes
De. suo. dotatas. & collocatas
Euangelicam. Obedientiam. Paupertatem. Castitatem
Voto. perpetuo. sibi. copulatas:

Ha-

Habet

Curatos. ab. Animi. morbis. Populos. innumeros
Reuocatos. à. Morte. Peccati. quamplurimos
Solutos. à. vinculis. captiuos. libidinum
Recreatos. Euangelicis. alimentis. ieiunos
Reductos. ab. exilio. Anathematis. contumaces

Prædicatione
Consilio
Exemplo
Scriptis
Auctoritate.

Denique. vocare. commodiùs. non. poteras. Diuum. de. Cælo
Quàm. per. illum. Qui
FIRMAMENTVM. IN. TERRA
De. suggestu. Quadragesimali
è. Psalmi. oraculo. iam. explicauit
Propediem. explicaturus. de. Prælo.



M E-

# EPIGRAPHAE MEMORIALES

*In tabella ænea, quæ ichnographiam exhibet Portus Liburnensis in Etruria, (vbi signum marmoreũ Magni Ducis) à Stephano Bella excusam.*

FERDINANDVS. I. MAGN. DVX. ETRVRIAE
E. MARMORE. COLOSSICVS
IN. SVO. LIBVRNENSI. PORTV. SPECTATVS

*In oppido Panicali, in Vmbria, tabulæ marmoreæ inscripsimus.*

D. O. M.
B O L D R I N O
Ex. oppido. Panicali. Perusini. agri
FVLMINI. BELLICO
Qui. magnam. Piceni. partem
Equitib. mille. Peditib. quater. mille
Dux. voluntarius. subiugauit
Pontificiorum. armorum. Imperator
Vrbano. VI. Pont. Max.
Dignos. magisterio. suo. alumnos. plures
Marti. dedit
Ex. his. Franciscum. Sfortiam. Mediol. Ducem I.
Perusia. vrbe. à Barbaror. inuasione
Semel. iterumq. seruata
Ius. Ciuitatis. obtinuit
Pugnacissimæ. Hercules
Et. ipso. Maior. Hercule
Quippe. non. alienis. sed suis. ipse. spolijs
Iam. tùm. functus. fato. formidabilis
Et. pugnauit. sæpius. Et. vicit. semper
Circumlato. per. castra. Cadauere
Armis. Signisq. stipato. per. annos. tres
Hoste. deluso. attonito. Marte.
Diomedes. Gilianus. conterraneus
Ad. antiquitatis. venerationem
Posteritatis. inuidiam. P.
An. Christiano CIↃ. IↃ. C. XXXX.
Obierat. An. CIↃ. CCC. L. XXXXI.

*Subsequens erat exponenda Rauennæ, Foroliuiensium nomine, sed omissa, quia transmissa serius.*

VOLVMNIVM. CARD. BANDINELLIVM
ALEXANDRI. III.
Immortalis. memoriæ. Pontificis Max.
Verum. certumq. sanguinem
Agnoscit. et. colit. AEmilia
In. limine. ipso. Legationis. iam. fastos
Admirans. impletos
Multitudine. rerum. gestarum. et. gloria
FOROLIVIENSIS. CIVITAS
Tanti. regiminis. adorans. primordia
Auspicium. sibi. perpetuæ. felicitatis
Certum. facit
Si. successoribus. Legatis. hoc. proponat
Vel. Exemplum. vel. Votum
A. M. D. C. L. X. I. I.

*Aliter.*

VOLVMNIVM. CARD. BANDINELLIVM
AEmiliæ. beandæ. Solem. exortum
Salutabunda. Ciuitas. Foroliuiensis
Suspicit:
Vere. vix. ineunte. Legationis
Iam. florentem. stupens. tranquillitate. Remp.
Ditatos. rerum. omnium. prouentu. populos
Diffusisq. ex. æquo. radijs
Almo. calore. beneficentiæ destitutum. neminem
Præter. sontes
Quorum. petendis. capitibus
Iustissimus. vindex
Nouit. radios. cudere. in. sagittas.
Tanti. Solis. inocciduæ. gloriæ
H. M. P
A. M. D. C. L. X. I. I.

Expe-

*Expetita de Nobis fuit Inscriptionis formula ponendæ in Aedibus Dominicanis, Romæ, ad Diuæ Mariæ supra Mineruam, nomini Eminentiss. Antonij Barberini: Nos aliter, & aliter ad vndecim dictauimus, vt, si qua inter ipsas nõ improbetur, deligatur. Videlicet:*

I.

Hanc. AEdium. Molem
à. Fundamentis. ad. fastigium. euectam
Structura. Amplitudine. Commoditate
Suspiciendam
Cardinalis. Antonius. Barberinus
S. R. E. AErario. Præfectus. et. Regni. Franciæ
Magnus. Eleemosinarius
Magnificentiæ. suæ. ac. studij
In. Sacram. Dominicanam. familiam
Exiguum. vestigium. extare
Voluit
An. Sal. M. D. C. L V

I I.

Hanc. AEdium. quam. suspicis
Magnificentiam
Cardinalis. Antonius. Barberinus
Regiæ. specimen. liberalitatis
Pietatis. argumentum. ingenitæ
Studij. testem. accensi
In. Sacrum. Dominicanum. Ordinem
Patronus. inclytus. æternúmq.
Meritus
Esse. voluit
An. . . . . . . . . . . . . . . .

III.

Has. AEdes. Ampliſſimas
Incolarum. frequentiæ, &. commodis. pares
Impares. Authoris. magnanimitati
Auguſtas . Anguſtas
Cardinalis. Antonius. Barberinus
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
Ordinis. Dominicani. Patronus
Vt. in. poſteris. clientela. perennet
à. fundamentis. ad. culmen
Excitauit
An. . . . . . . . . . .

IV.

Antonio. Cardinali. Barberino
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
Spectandi. huius. AEdificij. Fundatori
Magnificentiſſimo
Ordo. Sacer. Dominicanorum
Patrono Et Patri
Aeternùm. merenti
Quod. poteſt. . ſoluit
Quod. non. poteſt . vouet
Hoc. poſito Marmore
Grati monumentum. animi
Cæleſtis. incrementum. præmij
M. D. C. L. V.
Votis. Omnium. Omnium Votis
. . . . . . . . . . . . .

VI.

Tibi
Cardinalis. Antoni. Barberine
Patrone. ac. Pater. Beneficentiss.
Harum. AEdium. Amplissimarum
Structor. Magnanime
Monumentum. hoc
Animi. in. omni. posteritate. grati
Pro. modulo. non. pro. voto
Ordo. Sacer. Dominicanorum
D. D.
M. D. C. L. V

VII.

Antonio. Cardinali. Barberino
. . . . . . . . . . . . . .
Harum. AEdium. structori
. . . Munificentissimo . . .
Hoc.immortale.cum.Beneficio ipso.Monumentum Pos.
Ordo. Sacer. Dominicanor.
Eraserit. Vetustas. liuens. marmoreas. notas
Euerterit. Molis. perennitatem
Sed. stabit
Amor. literatus. in. posterorum. memoria
Sempiterna
M. D. C. L. V.

VIII.

Cardinalis . Antonij . Barberini
. . . . . . . . . . . . . . .
In . harum . AEdium . extructione
Magnificentiam
Vt . quandiu . eæ . stabunt
Firmitate . autem . operis . stabunt
Coæuæ . Mundo
Literatus . ego . Lapis . testificer . posteris
Et . seruem . ab . obliuione
Tanti . Principis . immortale
Beneficium .
Posuerat . me . grata . Dominicanor . familia
M . D . C . L . V.

IX.

Card. Antonij . Barberini
. . . . . . . . . . . . . .
Eximia . in . alumnos . Diui . Dominici . merita
Vel . lapis . hic . faustè . proclamat . de . pariete
Sumptuosissimarum . AEdium
Quas . ad . commodum . quas . ad . maiestatem
Cœnobij
Patronus . beneficentiss. exædificauit
An. Sal. M . D . C . L . V.

X.

Cardinalis. Antonij. Barberini
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
Præclara. merita
Quorum. hodie. fama. circumſonat
Ne. in. poſteris. liuens. Tempus. intercipiat
Me. Lapidem
Obſtinatum. Præconem
In. hac. AEdium. facie. magnificentiſſima
Quas. ille. de. ſuo. extruxit
Grati. in. familia. Dominicana. Patres
Poſſ.
M. D. C. L. V.

XI.

Card. Antonio. Barberino
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . .
Harum. AEdium. Cœnobij. Sacrarij
Authori. Amplificatori. Illuſtratori
Ter. meritiſſ.
Hocce. Marmor
Publicandæ . munificentiæ
Propagandæ . memoriæ
Augurandæ . beatitati
Præconem. Teſtem. Votum
Ordo. Sacer. Dominicanor.
Sempiternùm. gratus
Expoſuit
M D C L V.

*Iussu Illustriss. Meltij Archiep. Capuani hanc in Sacello familiæ ad Mediolanum exponendam dictauimus.*

VNI OPT. MAX
In. honorem. SS. trium. Magorum
IVLIVS. MELTIVS
Trium. lectissim. filiorum
Io. Antonij Iuliani Camilli
Inclytus. parens
Frater. autem. germanus
CAMILLI. S. R. E. CARD.
Archiep. Capuani
Omnium. mortalium. memoria. desideratissimi. Principis
Q V I
Apud. Cæsar. Maiest. Nuntius. Apost.
Tres. ipsos. fratris. filios. patrio. sinu. complexus
Sed. altero. in. prima. Heu. iuuentæ. face. extincto
Io. Antonium
Per. sacros. honores. ad. Prolegationem. Ferrarien.
Promotum
Successorem. interceptus. mortalitate. meruit
In. Archiepiscopali. Sede. Capuana
Virtute. Fortunam. ad. altiora. prouocante
Camillum. verò
Propagandæ. auitæ. nobilitati
Generosum. destinauit. stipitem
Dignum
Quem. coëmpto. Feudo. Trenni. Et. Casinæ. Peri
Et
PHILIPPVS. IV. HISP. REX
Titulo. Comitis. honestaret
Et
Sidera. nuptijs. fortunarent. Franciscæ. Frisianæ
Spectatissimæ. pietate. ac. prudentia. Heroinæ
S A-

SACELLVM. HOC
Concordi. religione. cum. Maria. Coniuge
In. Templi. instauratione. excitauit
Camillus
Religiosi. sensus. heres. absoluit. ornauit
Sacra. instruxit. supellectili
A. M. D. C. L. X. V. I. I. I.

*Ad Lacum Larium, in Villa Capuana nuncupata, cuius structuram & amœnitatem descripsit Sigismundus Boldonius germanus noster in historiola, cui titulus est LARIVS, opere ætatem superante, (scripsit enim quindecennis) sed sicut opusculum Herculi Sfondrato Villæ fundatori tam tùm viuenti dedicauit; sic amœnitatis incrementa per Valerianum Herculis filium multò post facta stylum eius fugerunt. Nobis autem Inscriptio commissa à Valeriano ipso cum vnius Patris mentione, stylo nostro exprompta sic fuit.*

MAGNVS. HERCVLES. SFONDRATVS
Montis. Martiani. Dux
GREGORII. XIV. P. M. FRATRE. GENITVS
In. Belgio. in. Aula. Taurinensi. in. castris. Pontificijs
Miles . Legatus . Imperator
Restituturus. Orbi
Sapientum. veterum. gloriam
Abiecto. Fortunæ. fastu
Priuatus
Bilacium. suæ. ditionis. oppidum
Petiuit
* In. biuio. Lacus. Larij
Hercules. alter. Prodicius
Secessum. hunc. deligens
Situ. horridum. cultu. amœnum
Præclarum. virtutis. heroicæ
Munimentum. sibi
Monimentum. posteris
A. M. D. C. X.

 * *Expri-*

* *Exprimit Larius literam Pythagoræ Y; Vbi verò scinditur in duos tractus, Bilacium sedet oppidum in sinu cliui peramœni, dictum Bilacium quasi efficiens binum Lacum, siue biuium Laci.*

*In eiusdem Bilacij cliuo AEdes magnificentissimas cum Villa Regia restituit Hercules ipse Sfondratus, exornauit Valerianus Filius, à Nobisque mandandam marmori memoriam exegit. Videlicet*

HERCVLES. SFONDRATVS
Montis. Martiani. Dux
Pauli. Sfondrati. Affinæ. Vallis. Reguli. Et
Sigismundæ. Estensis. F.
Heroum. heres. Heros. heredibus
In. Belgio. contra. Batauos. Miles
In. Aula. Ducis. Sabaudiæ. Orator
PHILIPPO. II. HISPAN. REGI
Opem. strenuam. tulit. &. operam.
Marte. pariter. &. arte. felix
Hasta. Astu
Imperator. armorum. Pontificiorum
Gregorio XIV. patruo. Innocentio. IX. Clemente. VIII.
Clauum. tenentibus. Clauam. adhibuit
Hæreseon. monstris. infestus
Cælestis. Hercules
Commissoq. in. Gallia. exercitu. cum. Catholicis. fœderatis
Rotomago. Vrbi. suppetias. secundùm. inuexit
Obsidionis. exitu
In. exitium. obsidentium. coacto.
Tot. exantlatis. laboribus
Otium. quæsiuit. in. cliuo. Bilacij
Exercitæ. ferro. ætati. sufficiens. auream
LVCRETIA. CIBOA
Principis. Massæ. Filia
In. vxorem. accepta
Dignas. ea. insitione. gemmas. edidit

Lectis-

Lectiſſimæ. prolis
Egregiam. eius. inſtitutionem. approbante. Hiſpanica. Regia
Munijs. honeſtiſſimis
Delibante. certatim. vario. Religioſorum. cœtu
Orbatus. Coniuge
Secum. ipſe. diuortium. fecit
Cœlibem: vitam. inſtituens
Corrupto. in. ſæculo. degens. procul. à. ſæculo
Minorem. ſæculo. vitam
Duodeoctoginta. annos. emenſus
Omni. maior. ſæculo. Heros
Æternitati. par
VALERIANVS. FIL. COMES. RIPARIÆ
Ac. ſummus. in. Inſubria. Catholicar. copiar. Metator
Tanti. parentis. gloriam
Æmulatus. ſtudio. veneratus. elogio
Poſ.
M. D. C. X. X. X. I. X.

*Ibidem, Sfondratam Villam, ad radices Cliui Bilaciani, in margine Larij Lacus, hac Epigrapha inſcripſimus:*

Sum. SFONDRATA. domus. Sfondratæ. Villula. Gentis
Nominis. exoluo. fœnora. delicias.
Herculis. ingenium. Patris. cùm. dura. iuberet
Curarum. feriis. otia. honeſta. ſequi.
Cernite. vt. exiguam. decorant. circum. omnia. molem,
Iuppiter. vt. placido. lumine. ſpectat. opus:
Lætus. vt. aſſurgit. vernanti. hinc. margine. Collis,
Gemmea. Neptunus. pandit. vt. inde, freta?
Natura. hic. Artem. ſuperat. Superatur. at. Arte
Naturæ. Ars. opibus. vincere. victa. docet.
Robore. quàm. validum. Alciden. vetus. extulit. Ætas
Tam. noua. Sfondratum. ſuſpicit. ingenio.

*Ad Vrbem Florentiam, Manadoriorum Villam iussi donare titulo latinè, alium, & alium proposuimus,* Villula Manadoria. Horti Mandorij. Receſſus Manadorius. Otia Manadoria. Deliciæ Manadoriæ. Tempe Manadoria. Suburbanum Manadorium.

*Memoriam autem fundationis hac Epigraphe ſtrinximus.*

Io. Franc. Manadorius. I. C.
Rodulphi. F.
Huius. ſuburbani
Emptor
Amplificator
Excultor

*In ſtemma verò Gentilitium ſub titulo in exteriori Villæ facie, quo quidem in ſtemmate Vnicornes duo exhibentur, hoc metro luſimus, colludentes ad nomen Gentis Manadoriæ, vulgari lingua ſonans* Manum Auream.

Ne. mirere. meæ. nomen. de. Stemmate. Gentis
AVREA.nãq.MANVS.quod.MONOCORNIS.habet
Obijcit. hic. fortis. minitanti. cuſpide. frontem:
Illa. per. hoſtiles. tuta. Phalangas. ouat.
Tetra. venena. cadunt. cornu. Feliciùs. auro
Vincere. quàm. ferro. fulgida. tela. vides.
Palma. auro. armetur. geminet. Moncornius. haſtam:
Quàm. bene. cum. Gentis. nomine. Stemma. nitet?

Sed

*Sed & Hospitem in vestibulo sic excepimus; Hinc quidem, Villæ ipsius nomine.*

HOSPES
Quisquis. ades. lubens. ingredere
AVREÆ. TE. MANVS
Excipiunt. complectuntur
Sed. Villulam. subis
Vt. amœnam. prospectu. ita. cultu. tenuem
IO. FRANCISCVS. I. C.
Manadoriæ. Gentis. non. inutile. germen
Qui. me. coëmit, &c. in. hanc. faciem. redegit
Plus. ingenij. conferre. valuit. quàm. splendoris
Elegantiæ. quàm. magnificentiæ
Hoc. Tua
Benignitas. conferet
Si. me. non. qualem. conceperas
Comperisse. patiere
Mihi
Quæ. Vir. tantus. præstitit
Seruasse. religionis. est
Immutasse. piaculi
Qualis. Qualis. sum
Suam. ille. Me. Tuam. iubet
Tu. lætus. succede. &
Fruere.

*Inde verò Domini.*

Quòd
Huius. amœnitas. Villæ
Te. capit
Fortunæ. non. Naturæ. aut. Arti
Vertendum. Hospes. aduerte

Hanc

Hanc
Adamauit. quondam. frequens. inuisit
In. delicijs. habuit
SERENISS. M. MAGDALENA. AVSTRIA. PARENS
FERDINANDI. II. REGNANTIS
Vnà. cum. Serenis. Fratrib.
Angustamq. licet. sua. reddidit. augustam
Præsentia
Sed. &. memoria. præteriti. facti
Præsentes. loco. delicias
Parit.

---

*Romæ destinatum Edictum, sed propositum recoquendo; Videlicet*

---

SS. D. N. Alexander. PP. VII.
Præcipit. nequis. intra. &. circum. limites
Laterum. &. viarum
Ac. plateæ. huius. Ecclesiæ. Sanctæ. Mariæ. Pacis
Audeat. fabricare
Ac. à. fronte. altiùs. muros. extollere
Nec. tabulata. ponere. aut
Aliquid. aliud. innouare. sub. pœnis. contentis
In. Chirographo. Sanctitatis. suæ
Sub. Die. XXVII. Iunij. MDCLIX.
Vt. in. Actis. Thomæ. Pallutij. Not. Apostolicæ. Cameræ
N. N. Sanctitatis. suæ Præfectus.

---

Ita

*Ita recoctum.*


Iussu. Sanctiss. D. N. Alexandri. PP. VII.
Ne quis
Intra, circaq. hanc. definitionem
Laterum. ac. viarum
Nec. non. Areæ. huiusce. Ædis
S. Mariæ. de. Pace
Ausit. Ædificium. extruere
Neue. à. fronte. muros. altiùs. attollere
Neue. tabulata. exponere
Aliudue. quid. innouare
Luiturus. si. ausit. pœnas
Chirographo. Sanctissimi D. N. descriptas
V. Cal. Quintiles. M.D.C.L.I.X.
Vt. in. Tabulis. Tho. Pallutij. Not. Cam. Apost.
N. N.
Per. Sanctissimum. Præfectus. Operi.

*Romæ in Lapide Porphyrite, ante Cryptam, quæ medium tenet Basilicæ Sanctæ Sabinæ, cuius Lapidis in summa parte hæ dumtaxat notæ legebantur;*

FAMILIAE.
CIANTES
M * *idest* Monumentum.

*Quippe Sepulchrum tegit huius familiæ: cum reliquum esset spatium amplissimum illiteratum, placuit nobis ita implere (consultis ab Illustriss. Egnatio Ciante Episc.) continenti ductu cum eo titulo, in hanc formam:*

FA-




FAMILIAE
CIANTES
M
ANTIQVVM
VBI. IACEANT. OSSA
NAM. STABIT. AETERNVM
MEMORIA
IN. PROXIMA. CRYPTA
S. DOMINICI
PIIS. MEDITATIONIB. CONSECRATA
POST. IMPENSIS. CIANTVM
IN. HANC. FACIEM. REDACTA
VT. APPOSITA. INSIGNIA
ET. MARMORA. LITERATA
TESTANTVR
IGNATIVS. CIANTES. ROM.
EX. ORD. PRAEDIC. EPISC. S. ANGELI
MEMORIAE. SVOR. OBSEQVVTVS
M. D. C. L. X. V. I.

---

*Forosempronij, in Aede noua per Clericos Reg. S. Pauli extructa memoriam hanc rogati descripsimus.*

---

D. O. M.
Lauiniæ. Tacchiniæ. Forosemproniensis
Priscis. illustribusq. matronis. comparandæ
Pietatem. Viator. admirare
Cuius. effusa. munificentia. in. Clericos. Reg. S. Pauli
Testamento. Heredes
Cum. intra. fines. domi. suæ. in. eorum. sedem. vertendæ
Contineri. non. posset
Indulgentia. Vrbani. VIII. Pont. Max.
Ampliore. hoc. spatio. quæsito
Excitatis. cum. Templo. AEdibus
A. fundamentis. ad. fastigium

Stetit

Stetit
C . R . S . P
AEternum. hoc
Rei . geſtæ . monumentum
Animi . grati . teſtimonium
Poſſ.
M . D . C . L . X.

*Florentiæ in S. Felicitatis non procul ab Auguſtali, ad Aram ex minoribus in dextero cornu.*

D . O . M,
ANDREAS . IOANNIS . BAPT. CIOLI. F.
Patritius. Cortonenſis
Prudentiæ . ac . dexteritatis . laude . vnus . in . paucis
Arenam . virtutis . ſuæ . nactus
Apud . Magnos . Duces . Etruriæ
FERDIN. I. COSM. II. FERDIN. II.
A . quibus . miſſus . A . ſecretis . legationis
In . Galliam . in . Angliam
Romam
AD . PAVL. V. GREG. XV. VRB. VIII.
De . reb. vbique . maximis . auſpicijs . ſemper . ſecundis
Inde . Legatus
AD . VRBINI . DVCEM . FRANC. MARIAM . II.
Vbi . nuptias FERDINANDI . II. conſtituit
CVM . VICTORIA . VRBINI . PRINCIPE
Sponſam. adhuc. puellulam. tantiq. ſtipitis
Gemmam . vnicam
Fidei . creditam . ſuæ . traduxit . Florentiam
Denique. Primus . A . ſecretis . politicis
Baiuliuus. Aretin. Senator . Florentin.
Tot . tantiſq. munerib.
Quadrageſimum . iam . deuouens . annum
Suo . etiamnùm . Principi . irrequietus . deſudaret

Si. vel. indicta. Requies. AEterna. fineret
Vel. plura. quàm. gessit. gerere. ætas. vna. posset
Obijt. Idib. Febr. CIↃ. IↃ. C. XI.
Annos. natus
Duodeseptuaginta.

*Ibid. in Læuo cornu.*

D. O. M.
ANGELICAE. BADII
Andreæ. Cioli. Senatoris. Vxori
Cui, Morum. honestas. ingenij. præstantia. Maior, sexu
Tanti. Viri. nuptias. facile. conciliauit
Sed. &. gratiam. Sereniss. Magnarum. Ducum. Etr.
CHRISTINAE. LOTHARINGIAE
Per, quam. tradita. Viro. fuit
MARIAE. MAGDAL. AVSTRIAE
Quæ. Catharinam. eius. Neptem. &. Heredem
VICTORIAE. ROVEREAE
Quæ. Heleonoram Neptem. alteram. &. Coheredem
Nuptum. locauit
Illam. Equiti. Laurentio. Poltri
A. secretis. Serenifs. Magni. Ducis
Hanc. I. C. Curtio. Torquati. Poli. F.
Nobili. Senensi. A. Secr. criminalib. ipsius. Ser. M. D.
EIDEM
Vitæ, mortalis. metam. contingenti
Qua. reliquum. cursum. religione. tenuerat
Amplo. ære. pios. in. vsus. legato
In. hoc. præsertim. extruendum. Sacellum
Quotidiano. sancito. Sacrificio
Ac. iure. Patronatus. Heleonoræ. concesso
Heredes. ipsæ. Heleonora. &. Catharina. officij. memores
Materteræ. opt. meritæ. Poss.
M. D. C. L. I. V.

*Sub Aræ ipsius Mensâ hæc Dedicatio destinata.*

In. honorem. Deipare. Assumptæ
S. Catharinæ. Senen. B. Margaritæ. Cortonen.
Andreas. Ciolius. Senator. &c. Baiul. Equ. S. Steph.
Voto. conceperat
Angelica. Badij. vxor. superstes. &c. heres
Testamento. sanxerat
Heleonora. Badij. Poli. Catharina. Cioli. Poltri
Heredes. Angelicæ
Aram. Sacellumq. à. fundamentis. perfecerant
Fide. integra. impensa. liberaliore
An. Sal. M. D. C. L. I. V.

*Sed præ Tabulæ relictis angustijs ita contracta.*

B. V. M. ASSVMPTAE
S. Catharinæ. Senen. B. Margaritæ. Cortonen.
Heleonora. Badij. Poli. &c. Catharina. Cioli. Poltri
Heredes. Angelicæ. Badij. Vxoris
Andreæ. Cioli. Senat. Fide. integra
A. fundamentis. ad. culmen
Posf. M. D. C. L. I. V.

*Memorias rerum bellicarum nihil ab antiquitate nobilius consecrat positione Trophæi: nihil proinde animos adolescentum ingenuos magis hodie acuit honoris illius simulacro ad æmulationem literariam. Nobis itaque aliquando rogatis à Magistro palæstræ literariæ pro Classe alumnorum suorum formulam Trophæi breuem ponendi Victoribus; etsi minimè recens id inuentum teneremus; refragari tamen non licuit homini benemerenti. Cui vt gratiam nec tardam referremus, nec raram; simul vt obsequeremur studiosis pagendarum Epigrapharum ad parandam copiam, pro formula vna maluimus triginta ex tempore fundere: quarum seriem nec alienum ab instituto duximus huic paginæ Memoriali interserere, Videlicet.*

Si. vel. indicta. Requies. AEterna. sineret
Vel. plura. quàm. gessit. gerere. ætas. vna. posset
Obijt. Idib. Febr. CIↃ. IↃ. C. XI.
Annos. natus
Duodeseptuaginta.

*Ibid. in Læuo cornu.*

D . O . M.
ANGELICAE. BADII
Andreæ. Cioli. Senatoris. Vxori
Cui, Morum. honestas. ingenij. præstantia. Maior, sexu
Tanti. Viri. nuptias. facile. conciliauit
Sed. &. gratiam. Sereniss. Magnarum. Ducum. Etr.
CHRISTINAE. LOTHARINGIAE
Per, quam, tradita. Viro. fuit
MARIAE. MAGDAL. AVSTRIAE
Quæ. Catharinam. eius. Neptem. &. Heredem
VICTORIAE. ROVEREAE
Quæ. Heleonoram Neptem. alteram. &. Coheredem
Nuptum. locauit
Illam. Equiti. Laurentio. Poltri
A. secretis. Serenis. Magni. Ducis
Hanc. I. C. Curtio. Torquati. Poli. F.
Nobili. Senensi. A. Secr. criminalib. ipsius. Ser. M. D.
EIDEM
Vitæ, mortalis. metam. contingenti
Qua. reliquum. cursum, religione. tenuerat
Amplo. ære. pios. in. vsus. legato
In. hoc. præsertim. extruendum. Sacellum
Quotidiano. sancito. Sacrificio
Ac. iure. Patronatus. Heleonoræ, concesso
Heredes. ipsæ. Heleonora. &. Catharina. officij. memores
Materteræ. opt. meritæ. Poss.
M . D . C . L . I . V.

Sub

*Sub Aræ ipsius Mensâ hæc Dedicatio destinata.*

In. honorem. Deipare. Assumptæ
S. Catharinæ. Senen. B. Margaritæ. Cortonen.
Andreas. Ciolius. Senator. &. Baiul. Equ. S. Steph.
Voto. conceperat
Angelica. Badij. vxor. superstes. &. heres
Testamento. sanxerat
Heleonora. Badij. Poli. Catharina. Cioli. Poltri
Heredes. Angelicæ
Aram. Sacellumq. à. fundamentis. perfecerant
Fide. integra. impensa. liberaliore
An. Sal. M. D. C. L. I. V.

*Sed pre Tabulæ relictis angustijs ita contracta.*

B. V. M. ASSVMPTAE
S. Catharinæ. Senen. B. Margaritæ. Cortonen.
Heleonora. Badij. Poli. &. Catharina. Cioli. Poltri
Heredes. Angelicæ. Badij. Vxoris
Andreæ. Cioli. Senat. Fide. integra
A. fundamentis. ad. culmen
Poss. M. D. C. L. I. V.

*Memorias rerum bellicarum nihil ab antiquitate nobiliùs consecrat positione Trophæi: nihil proinde animos adolescentum ingenuos magis hodie acuit honoris illius simulacro ad æmulationem literariam. Nobis itaque aliquandò rogatis à Magistro palæstræ literariæ pro Classe alumnorum suorum formulam Trophæi breuem ponendi Victoribus; etsi minimè recens id iuuentum teneremus; refragari tamen non licuit homini benemerenti. Cui vt gratiam nec tardam referremus, nec raram; simul vt obsequeremur studiosis pagendarum Epigrapharum ad parandam copiam, pro formula vna maluimus triginta ex tempore fundere: quarum seriem nec alienum ab instituto duximus huic paginæ Memoriali interserere, Videlicet.*

*Formulæ Trophæi Scholaſtici*
*Pro Claſſe Epheborum.*

I.

Inclytæ. Memoriæ
Trophæum
CLAVDII. STEPHALII
In. claſſe. Rhetorices
Literariæ. gloriæ. propagatoris
Cæſarianarum. partium. propugnatoris
Inuicti. integri
Proſtrauit. Aemulum. fortiſſ.
N. N.
An. Men. D.

II.

Inuictæ. Virtuti
CLAVDII. STEPHALII
Ex. aduerſario. validiſſimo
N. N.
Victoriam. referentis
VT. QVI
Aciei. Palladiæ. plauſus. vniuerſos
Promeruit
Totius. quoque. poſteritatis
Prædicationem. habeat
Hoc. Trophæi. monumentum
Publico. decreto
Poſ.
A. . . . M. . . . D. . . .

III.

III.

Trophæum
CLAVDIO. STEPHALIO
Victori
Hectoris. N.
Vt. cuius. Gloria
Literarium. impleuit. Orbem
Omnium. quoque. temporum
Ambitum. peruadat
A . . . M . . . . D . . .

IV.

Victoria
CLAVDII. STEPHALII
Cum. Hectore. N.
Literaria. pugna. congressi
Hoc. erecto. Trophæo
Sempiterna.

V.

Sempiternæ. Gloriæ
Trophæum
CLAVDIO. STEPHALIO
Partum
Ob. debellatum
Literario. prælio
N . . . N . .
A . . . M . . D . . .

VI.

Palladi . Statrici
Quod
Cursum . literarij . belli
Virtute . Aduersarij
N . . . . . N . .
Variantem
CLAVDIO . STEPHALIO
Strenuè . vouenti
In . Victoriæ . gradu . stiterit
A . . . M . . . D . .

VII.

Famæ . sacrum
CVM . CLAVDIVS . STEPHALIVS
Stipendia . merens . Palladis
In . certamine . multiplici
Victor
Hectoris . N . . .
Punctis . C . renuntiatus . sit
Hoc . illi
Trophæum . legitimum
Excitatur
A . . . M . . . D .

VIII.

Immortali. Memoriæ
CLAVDII. STEPHALII
Quòd
In. congressu. literali
Hectorem. N.
Æmulum. suum
Viginti. confectum. vulnerib.
Prostrauerit
Cæsariana. Classis. ouans
Trophæum
H. P.
A.. M.. D

IX.

Sempiternæ. Memoriæ
CLAVDII. N.
De. Aduersario. suo
Hectore. N.
Legitimè. Triumphantis
A.. M.. D

X.

CLAVDIVS. N.
Hæc, de. Multorum. Victore
Hectore. N.
Ablata. Spolia
A... M...

XI.

Hæc. Trophæi. moles
Aggeratam. indicat. gloriam
CLAVDII. N.
Erepta. ſtrenuiſſimo. Æmulo
Palma. Victoriæ
A. M. D

XII.

Poſteritati. Sacr.
Quam
In. caſtris. Palladijs. retulit
Victoriam
CLAVDIVS. N.
De. Hectore. N.
Aduerſarum. partium. primipilo
Eius. Memoria
Vt. immortalis. fieret
Trophæum. hoc. erigi
Popoſcit
A. M. D.

XIII.

CLAVDII. N.
In. acie. Literaria
De. Hectore. N... triumphantis
Gloria
Hocce. Trophæo. poſito
Ab. obliuione. poſterorum
Vindicatur
A. M. D.

XIV.

Trophæum
CLAVDII. N.
Collatis. hic. signis. Palladijs
Fuso. Æmulo
Hectore. N. . .
A . . . . M . . . D . .

XV.

CLAVDII. N.
Alumni. Palladis. inuicti
Monumentum
De. Hectore. N. triumphato
A . . . . M . . . D.

XVI.

CLAVDIO. N.
Literaria. gloria. clarissimo
Vt. Æmuli. Hectoris. N.
Simul. &. Fati. Victor. existat
Trophæum
Æternis. excusum. notis
Academia. plaudens
Erexit
A . . . . M . . . D.

XVII.

Quanta. Virtute
CLAVDIVS. N.
In. congressu. literario
Æmulum. suum
Hectorem. N.
Profligauerit
Hoc. excitato. Trophæo
Academia
Posteritati. testatum. voluit
A . . . M . . . D . .

XVIII.

CLAVDIVM. N.
In. acie. Palladia. pluribus. palmis
Hectoris. N. Æmuli. sui
Victorem. extitisse
Testatur
Hic. Cippus
Publico. Academiæ. decreto
Consecratus
A . . . M . . . D

XIX.

Trophæum
CLAVDII. N.
In. acie. literaria
Victoris
Hectore. N. Æmulo
Multiplici. clade
Protrito
A . . . M . . . D . .

XX.

Literariæ
Monumentum . Gloriæ
CLAVDII. N.
Acerrimo . Æmulo
Hectore . N.
Debellato
A . . . M . . . D . .

XXI.

Literariæ . Virtuti
Quàm . Bellicæ
Gloriosius . hìc . surgit
Trophæum
CLAVDIO. N.
Ob
Magnum . deuictum . Æmulum
Hectorem . N.
A . . . M . . . D . .

XXII.

CLAVDIO. N.
Hector . N.
Cæsariano . Pompeianus
HIC
Terga : vertit . campo . cessit
Locum . Trophæi
Legitimum . reliquit
A . . . M . . . D . . .

## XXIII.

Quòd
CLAVDIVS. N.
In. congressu. Literario
Hectorem. N.
Multiplici. elatum. Triumpho
Ipse. in. Triumpho. captiuum
Duxerit
Academia. in. plausus. effusa
Trophæum. hoc
Statuit
A... M... D..

## XXIV.

Insignib. palmis
Claro
CLAVDIO. N.
Post. deuictum. in. arena. literaria
Hectorem. N.
Athletam. Fortissimum
Academia.
Communi. ac. pleno. suffragio
Trophæum. hoc
Censuit
A.... M.... D.

## XXV.

Macti. Virtute. Adolescentes
Quod. vestro
Literarijs. in. castris. Commilitoni
CLAVDIO. N.
Æmuli. peracris. Hectoris. N.
Victori
Trophæum. attollitur

Eius-

Eiusdem. Vos. Æmulos. gloriæ
Manet
Pari. nominis. celebritate
Consecrandum.

XXVI.

Æternitati. Sacrum.

Cùm. CLAVDIVS. N. in. hac. Literaria. Palæstra. clarissimam. de. Hectore. N. Aduersario. suo. Victoriam. reportauerit. Hoc. illi. immortale. Trophæum. &. ipsius. confessione. Aduersarij. &. plaudentium. Sociorum. testimonio. debitum. constituitur.
An. Men. Die

XXVII.

CLAVDII. N.
Spectata. non. semel
In. literario. campo
Virtus
Aduersùs. Æmulum
Hectorem. N.
Vt. in. posteritate. quoque. spectetur
Æternum. hoc. præstat
Trophæum
Immortalibus. notis
Exaratum
A. . . M. . . D.

XXVIII.

XXVIII.

CLAVDII. N.
Virtus
Spolijs. opimis. de. Æmulo
Hectore. N.
Collectis
Hoc. popoſcit. Trophæum
In. ſeriem. poſteritatis
Perennatura.

XXIX.

CLAVDII. N.
Trophæum
Virtute. non. Fortuna
Partum
Oculatum. ergo. non. cæcum
Bene. ſibi. proſpiciet
AEternitatem.

XXX.

CLAVDII. N.
De. Hectore. N. Trophæum
Apage. Fortunæ. Monſtrum
Vna. hic. Virtus
Et. Pugnatrix. &. Victrix
Solidam. Gloriam
Non. vnquam. perituram
Adepta.

*Hæc in viridi ætate ludebamus, & in Scholis versantes. Iam ad cœnam prouecti, & castra tenentes Ecclesiastica habuimus oblatam non semel Palmarum messem, ac Tropheorum argumenta, seria enimuero illa, & plena discriminis; sed fortunata propugnante Numine: cuius proinde gloriæ referimus Trophæum consilio Amicorum communi, Nobis ipsis positum in Marmore, vt in subiecta Epigraphe.*

*Theani, in AEdibus Episcopalibus.*

---

OCTAVIVS. BOLDONIVS. MEDIOLANEN.
EPISC. THEANEN.
Abbatem. Neapolitanum. S. Antonij. Viennen.
Vsurpata. Iurisdictione. deiecit
Cõtumaces.atq.effrænes.Clericos.ad.eum perfugas.domuit
Instituta. Romæ. Causa
Ac. Decreto. Sac. Congr. Conc. Trid. Interpr.
Feliciter. absoluta
XIII. Cal. Ian. M. D. C. L. XIV.
Ingenti. suo. ære. ac. labore. Sed. communi. Præsulum
Totius. Regni. beneficio
Munimentum Monimentum
Posteris Sibi

---

*In Decretum alterum S. Congreg. super Immun. Ecclesiast. pro Nobis editum in causa Iurisdictionali multo grauissima, inuoluto, honoris gratia, nomine partis aduersæ.*

---

DIRIS DEVOTO
N . N
Quòd. Proprio. nomine. sibi. blanditus
Victor. Populi. promiscuè. futurus. sperauerit:
Quòdq. Gentilitio. minimè. eruditus
Iouem. diminutum. sonante
Maiorem. se. tamen. Ioue. somniauerit:

Ful-

Fulmina
Regiæ . dexteræ . Ioannæ . II. Neapolitanæ
Detracta
Sibi . vendicans
Ac . Ritum . LXV. Magnæ . illius . Curiæ
Trahens . ad . ſe . ſe
Regulum . in . cauernula . dominantem :
Indignabundo . ob . id
IOVE. MAXIMO. ET. OPTIMO
Ac . fulminatricis . dexteræ . Anathema
In . impium . caput . contorquente :
Filius . terra . genitus . piperna
Nec . niſi . pileo . Auorum . venalitio . munitus
Petitus . Fuſus . Extinctus
Iacuerit :
Lapidem . hunc
Oculatum . & . Cæcum . Loquacem . & . Mutum
OEdipo . tamen . vix . indigum
Eius . nomini . ſempiternis . notis . compuncto
Poſuit
Deteſtanda . in . omnem . poſteritatem . memoria
Anni . M. D. C. L. X. I. X.
XI. KAL. FEBR.

*Dominicus Pandolfinus natus Prati ( nobiliſſimi quondam Oppidi in Etruria, nuper iura Ciuitatis adepti ) magnum decus patriæ, incrementum familiæ, deque Ordine noſtro meritus obſequentem habuit Fortunam, vel in obitu, qui ſubitarius pene accidit, nec niſi quatuor horarum periodo luctantis morbi. quo tamen ſpatio exiguo integrum fuit illi ſubſidijs plane omnibus Myſteriorum Eccleſiæ muniri, & Chriſtianæ pietatis exempla præclara edere. Nam cùm vitæ ſuæ Elogium à nobis popoſciſſet exponendum Prati in Sacello, quod ex pretio gemmæ Hiſpanicæ perquàm magnificum conſtruebat, ipſa fatali die deduxit nos vehiculo ad deſignatum in marmore opus viſendum, ſi quid forte aut erratum eſſet à ſculptore, aut contra leges Romanarum literarum commiſſum, minuſuè bellè diſpoſi-* tum

*tum ad nostrum exemplar. Ita ignaro mortis imminentis succurrit tempestiuè consilium firmandæ immortalitatis nominis. Cui vtinam stylus noster dignè seruierit. Fuit autem Elogium huiusmodi.*

En. Vobis. Pratenses
Generosi. Ciuis. Typus
DOMINICVS. PANDOLFINIVS. SANCTIS. F.
Qui. Septemdecennis
Vix. dum. visus. in. patria
Inclaruit. repente. exteris. natus. ad. maxima
Politicæ. Bellicæq. capacissimus
Tyrocinium. egit
Renunciatus. A. secretis. Sereniss. M. D. Etruriæ
COSMI. II.
Ad. Aulas. subinde. plures. destinatus
Parmensem. Hispanicam. Mediolanensem. Venetam
Minister. A. secretis. Ordinarius. A. secretis
Orator. ordinarius. Castrorum. Generalis. Metator
Fecialis. maximus
Rerum. vbique. maximarum. perfector
Oblatrante. Inuidia. sed. peruincente. Virtute
Cuius. illa. fuere. Trophæa. immortalia
Pax. Placentina
Inter. Regem. Cathol. ac. Ducem. Parmensem. firmata
Causa. controuersiarum. multiplex. ac. inueterata
Super. ditionum. finibus. in. Prouincia. Lunensi. composita
Crux. Militaris. S. Stephani
Annuo. cum. censu. à Magno. Duce. vltrò. tradita
Gemma. pretij. aureorum M. M.
Annua. item. Pensio. aureorum. M. D. honoris. ergo
A. Rege. Cathol. attributa
Tandem. Diplomate. amplissimo. Sereniss. M. Ducis. Etr.
FERDINANDI. II.
Primus. A. secretis. Belli. simul. &. Sanitatis. Terra. Mariq.
Partos. ab. se. sudatis. laboribus. honores
Ingenuis. Ciuib. posterisq. æmulandos. reliquit.
M. D. C. L. V.

*Theani in Aede Cathedrali supra Vrnam Mortualem vacuam, seu Cenotaphium vetustum, rogatu Iulij Galluccij aliter, atque aliter inscripsimus,*

Habes. Viator. si. quæris
GALLVCIÆ. GENTIS
Claritudinem
Ex. fuligine. candicantis. à. marmore. Pario. huius. Vrnæ
Pietatem
Ex. Odeo. ac. Tholo. huiusce. Basilicæ.
Illa
Cineribus. quondam. addicta. Gotifredi. senioris. gentilis
Hæc
Ære. largo. Gotifredi. Iunioris. Nepotis
Extructa
Iulius. Galluccius. A. Neapoli
Memoriæ. Maiorum. obsequutus. Pos.
M.D.C.L.X.V.I.I.I.

*Aliter.*

Galluciæ. Gentis. Nobilitatem
Contracto. seculorum. senio. probatissimam
Ne. idcirco. tumulatam. putes. Viator
Vrna. hæc. facit
Gotifredi. sui. cineribus. fato. disiectis. vacua
Neuè. iacentem
Prohibet. huius. Basilicæ. Odeum. cum. Testudine
Gotifredi. Nepotis. pia. magnanimitate
Consurgens.

*Aliter*

*Aliter.*

GALLVCCIORVM
Splendorem
In. hac. Vrna. operosissima. cernere. erit
Viator
Antiquitatem
In. hoc. Monumento. Gotifredi. barbarico
Vtrumque simul
In. huius. Basilicæ. testudineato. fumosoq. Odeo
Per. Gotifredum. Nepotem. magnificè
Excitato.

*Ibidem in Aedibus Seminarij Clericorum ad nouam Bibliothecam.*

D O M
Bibliothecam. hanc
Conquisitis. de. suo. omne. fere. genus. codicibus
Fundauit
A. Diuo. Paride. Theanensium. Apostolo. Paridensem
Nuncupauit
Dilecti. Cleri. Ciuitatisq. vsui. perpetuo
Dicauit
Pietati. successorum. Episcoporum. studiosorumq. Ciuium
Colendam conseruandam locupletandam
Commendauit
OCTAVIVS BOLDONIVS. MEDIOLANENSIS
Episcopus. Theanen.
A. M. D. C. L. X. I. X.

*In SALOMONEM Mallerini Belgæ Sculptoris ærarij nostra memoria celebris expressum de facie Octauij Boldonij Patritij Mediolanensis.*

Crudus. hoc. in. opere. euasisti
Mallerine
Roscius. spectatus. in. ceteris
Hic. dum. Virum
Ex. recente. antiquum. ex. priuato. Principem
Ex. vno. huius. seculi. sapiente
Omnium. oraculum. Gentium. miraculum. seculorum
Scalpro. tuo. restitutum. nobis. putas.
Do. Tibi
Magni. Salomonis. in. huiusce. Octauij. faciē
Maiestatem. Regnantis
Seueritatem. Philosophantis
Maturitatem. Iudicantis
Addo
Explicantes. se. se. in. fronte. totas. Cyclopædiæ. diuitias
Emicantem. ex. oculis. ad. amœna
Ad. splendida. Genium
Prægestientem. in. labris. suadam. cum. Gratijs
Sacrosanctos. eos. Naturæ
Latentis. indices
Loquentis. testes
Ludentis. tractus
Non. ista. modò. petas. hinc. licet. ad. effigiem. Viri
Supra. sortem. omnium. per. lapsas. per. lapsuras
Ætates. Mortalium
Sapientissimi. Magnificentissimi
Quid. ni. etiam
(Quo. Sapientiam. perficias. Magnificentiam. corones)
Continentissimi?
Tu. quidem
Eum. Millenas. ipsas. ductantem. Veneres
Huius. tentasti. lineamentis. qui. duxit. vnicam
Illum

Illum. alienigenarum. tot. pollutis. nuptijs
In. ſenio. marcidum
Huius. integra. in. ætate. vnas. legitimas. vix. admittentis
Alienæ. autem
Inter. incentiua. iuuentutis
Inter. libertatem. vitæ
Inter. fortunarum. affluentiam
Mulieris. omnino. inſcij
Veneris. nullius. conſcij
Conſultiùs. hic. quidem. cum Zeuxi
E. Selectarum. Virginum. laudatiſſima. quaque. parte
Iunonem. expingente
Non. ex. Octauio. Tu. Salomonem. referre. malueris: ſed
Ex. Salomone. Octauium
Vel. deraſa. ab. eo. nota. illa. ſeruili. vel
Translatis. ad. hunc. Diadematæ. ac Sceptro
Qui. libidinum. nunquam. extitit. ſeruus
Sed. ſui. Rex.

* *Notæ*

*Suadente pietate; conniuente modeſtia iniunctæ Authori; Lectori forſè non iniucundæ, nec inutiles, ad Elogij certè ſuperioris intelligentiam conducentes.*

*Octauius Boldonius Octauij Authoris Pater, Nicolai filius Equitis & Comitis Palatini vnius è ſummis Philoſophis ſuæ ætatis, è paucis autem vita integris: adoleſcens ſtudio ſapientiæ Europam omnem, & Aſiam magnamque. Africæ luſtrauit partem. Redditus Patriæ adiunxit laureæ Iuris Ciuilis & Canonici, quas ex peregrinatione tanta aduexerat opes inſigniorum idiomatum, liberaliorum diſciplinarum. Ipſe Latinè, Græcè, Hebraitè, Siriacè, Chaldaicè; Ipſe Illyrice, Etruſcè, Hiſpanicè, Gallicè doctiſſimus. Et quidem peritia Græcæ Linguæ Orator deſtinatus ad Imperatorem Turcarum pro Rep. Veneta, & iam procinctus, veneficijs eſt ab itinere interceptus, biennium fere totum ægrotans. Iuris autem prudentiæ eam de ſe opinionem excitauerat, non defuturam ſibi ſedem Senatoriam niſi ob multam prolem ex coniugio ſuſceptam,*

*ceptam, quæ ad ſextam decimam cenſa eſt, cauſas abdicauiſſet forenſes; impium aiens eſſe, liberorum curam clientum commodis poſt habere, aliosque complecti neglectis ſuis: Collegis interea temporis, qui ipſum aſſiduè & conſulebant, & colebant, in Senatum ſubinde admiſſis. Ad hæc Philoſophus, Mathematicus, Coſmographus, Architectus, Aſtrologus in ſingulis, vt alius quiſquam in vna eminens, diſciplinis, habebat quotidiè plures ab ſe ſcitantes oracula. Sed enim Aſtrologiæ intelligentiam ante illam Legem Sixti V. fecit ſæpe perſpectam; in filijs, quorum naſcentium horoſcopo obſeruato, quid cuique eſſet futurum; ſucceſſu haud fallente præmonebat: In Vxore quoque aſſecutus geneſin ex coniecturis, omnem illius fortunam ad vſque extremum ſpiritum explorauit, ipſo exitu mirabiliter conſentiente. In quo & ſibi obliquè præſagiuit fatum, viduitatem coniugis certo deſignans tempore. Quod nec inficetè ſignificauit Aurelio filio natu ſecundo triduo ipſo ante obitum, quem morbus attulit penè repentinum. Nam cùm Mediolanum animi gratia perambularet illo comite, & oculos fortè extuliſſet ad ædificium recentis operæ, contuens inſcriptum annum tunc vertentem notis minuſculis ( 1615. ) Animaduerte, inquit, Aureli, & lege. Illo exponente ex vſu vulgi Milleſimo, Sexcenteſimo, Quintodecimo: Ego quidem (ſuſcipit) minimè ſic interpretor, ne Authorem notam barbariæ, quando Romanis inſcribitur notis: Verùm literis noſtratibus, quales hæ ſunt minuſculæ, exaratum intelligo mihi Verbum, ibis, vti monitum è Cœlo datum de itu, id eſt obitu, qui mihi propediem imminet. Cæterum Gregorio XIV. de familia Sfondrata coniunctiſſimo in primis ſuo Pontificatum Maximum longè prænunciauit, vt & Purpuram Vaticanam Paulo Sfondrato fratris filio, diù, multumque refraganti, ſubdenſque fore, vt is quoque Pontificatum adfectaret, plenis equidem meritis, ſed caſſis votis. Id quod vidimus ad amuſſim perfectum. Apud Pedemontanos etiam hoſpes per noctem vnam Viri præpotentis, cùm fortè inſpexiſſet in pariete cubiculi notationem natalis horæ illius, arrepto calamo promptiſſimè quæ illi cunque ad id tempus euenerant, & animi conſilia vni cognita Deo deſcripſit, fatumque ipſius cum familia vniuerſa in aquis perituri indicauit, attonito maximè atque ſtupenti: ſed lugubrem caſum haudquaquam po-*

*stea declinanti. Ad hæc petebat non modicæ authoritatis Vir, euentura sibi ex astris vt proferret; non tamen horam natalem rogatus significabat, rem autem vt expediret, vrgebat. Octauius attentè hominem contemplatus, & vnius physionomiæ munitus præsidio ad Siderum inde constitutionem, Cœlique figuram in illius ortu pertingit: tùm res omnes, casusque præteritos aperit erubescenti interea, & vetanti, ne porrò procedat. Architectonicen habuit in delicijs. Quare cùm alia multa suo Marte descripsit ædificiorum archetypa, tùm ipse sibi Villam excitauit in margine Larij lacus, cuius amœnitatem & commoda ad Musas persecutus fuit latino stylo Sigismundus filius natu Octauus in Epistolis, quæ hodie teruntur eruditorum manibus editæ Mediolani anno MDCLI. Ioannis-Nicolai opera, filij natu Septimi, (cuius etiam plura in argumento sacro lucem aspiciunt, plura desiderant) cuius & studio, & stylo suppletum principio ac fine prodiuit Poema Heroicum Sigismundi ipsius, carmine Etrusco, inscriptum (CADVTA DE LONGOBARDI) editum Mediolani An. MDCLVI. Quàm verò florentem habuerit Bibliothecam Octauius conquisitis summo studio omne genus Scriptoribus per omnes disciplinas, quamque locupletem Mathematicis instrumentis, promptum erit cuique iudicare de Viro ætatis suæ literatissimo. In eo autem præbuit exemplum religionis, non solùm literaturæ, quòd Codices, non paucos reconditæ eruditionis, ac typis speciosissimis excusos, quorum vsus Catholicis hominibus interdictus, Pontificio tamen diplomate sibi permissos, spontè deuouit igni, nequando in liberorum caderent manus cum noxæ periculo. Erat enim pietate apprimè grauis, multus in lectione Sanctorum Patrum, ac præsertim sacrorum Bibliorum; vt proinde instituerit, cœnatus, ea priuatim de codice recitare assidenti Vxori cum filijs atque puellis, reddens ex tempore per periodos lingua vernacula. Astrologiam qui tantopere calleret, mirum, vt abhorreret summopere à sensu communi Apotelesmaticorum nostratium, qui videntur plus astris deferre, quàm astrorum conditori, ac moderatori; Temerarios etiam illos dictitans, qui, quantauis pollentes artis intelligentia, summam fortunæ Nascentium attribuunt Genesi, nequaquam animaduertentes, inesse quidem astris vim maximam, non paruam tamen*

inesse

*inesse ingenio parentum, lacti nutricis, educationi ac disciplinæ, denique consuetudini sodalium, & vsui quæ singula vim vtique moderari valent astrorum. Omnino autem in tam implicata varietate causarum haud ægrè falli ingenium hominis in rebus futuris vestigandis; quippe Astronomum, ac Philosophum quouis hominum perspicaciorem Cacodæmonem non rarò patere fallacijs, suo se doctum periculo affirmabat Octauius, quum ad virilitatem pertingens morbo lethali semel, & iterum decumberet desertus à Medicis. Priore siquidem morbo velut certus de obitu proximo Cacodæmon obtulit perlegenda vno coniectu oculorum quæcunque is à primis vsque annis ad momentum illud temporis patrauerat crimina: ea, vtrùm descripta in libro, an picta in tabula, an sculpta in marmore, quouè illa pacto repræsentata, minimè inquit compertum habui; illud enimuerò, multa mihi ante flocci æstimata, quæ grauia tùm visebantur, multa præterea occulta venisse propalam, eò sanè consilio vaferrimi hostis, vt desperata salute corporis, animæ quoque consequendam à Clementia Diuina salutem desperarem. Sed affuit supernè auxilium Patronæ Gentis & Maiorum meorum Diuæ Mariæ Magdalenæ, cuius sacras Reliquias theca inclusas aurea gestabam ad pectus. Itaque & sospes ab eo labore euasit Octauius, & magnum illum reportauit fructum, vt, vbi conualuit, errata superioris vitæ, labesque omnes vel minimas multò exactissimæ per sacram Pœnitentiam expiarit ( Cacodæmone obliquè benefico ) exemptus à permolesta vulgo cura discutiendæ conscientiæ, quippe quam præcedenti spectro malus Dæmon religiosissimè sibi diffuderat. Ex eo tempore ita compositus ad optimam frugem durauit, vt triginta circiter per annos vitæ superstitis culpam lethalem contraxisse omnino nullam affirmauerit post eius excessum, idque iureiurando N. Riboldus Antistes Oblatorum Diui Ambrosii, vir singularis religionis ac sanctimoniæ, cuius regimini in studijs pietatis à priore statim morbo se comiserat. Nam posteriore non multo pòst correptus, spe omni cadentibus Medicis, opinione eadem deceptus Dæmon stitit sese illi, specie quadam ( retulit exinde ægrotus ) nullo concepta sensu corporeo, nullo coloris pigmento exprimenda, plena ea quidem truculentiæ, ac plena terroris: ciens intùs etiam atque etiam pectus ad vin-*

*vindicandum iniuriam acceptam (illum re vera leuissimam, sed propositione ipsius oppidò quàm exaggeratam) vnoque tempore extrà solicitans, vrgens, premens, vt eloquatur; vtrùm eam remittat, nec ne. Ab hocce conflictu redditus sibi tandem Octauius cùm posceret lustralem aquam, cuius vsus priuatus olim obsoletus nondum erat restitutus, domestici delirantem arbitrati abnuerunt; sed virtutè Fidei fugato hoste tartareo & rediјt animo quies, & haud pòst multo salus corpori. Quem verò præsagiuerat sibi diem ex vicè Vxoris, obiuit ex dolore colico, præcipiti morbo horarùm octo & triginta, mira animi constantia, & inuicta fortitudine, munitus sacris mysterijs; sed & arguens astantem virum Religiosum, quod conaretur spem ingerere valetudinis; haberi propterea omnibus per vrbem Templis publicas supplicationes, quibus fidere iuberetur: Habentur hæ magis, inquit, vt vestigio tutò ad Deum ferar: Tùm conuersus ad Aurelium & Ioannem Nicolaum; Vt moriar, inquit, non vt viuam, atque vt à Dæmonum tentamentis in articulo illo seruer, deprecamini quæso Deum. Decessit annos natus tres & sexaginta, desideratissimus Reip. literariæ, egenis autem maximè, quibus consilio, pecunia, opera semper præsto fuit. Nec defuere elogia summorum Virorum, inter quos Magnus Hercules Sfondratus (de quo extant hic in Memorialibus Epigraphæ tres) accepto tristi nuntio fertur in has voces non sine lacbrymis erupisse:* Miseret enimuerò me Sortis Ethnicorum colentium Diuinis honoribus homines, summæ alicuius virtutis, ac meriti. Nam nisi Deum vnum Christiana tradidisset Religio, Næ ego Octauium Boldonium colerem mihi Deum. *Credo id sensisse Herculem cùm rerum memoratarum gratià, aliarumque virtutum, quas hìc suppressimus ob breuitatem, tùm explorata sibi magnanimitatis, quo tempore oblatos ipsi honores maximos ab illius patruo Gregorio XIV. Pont. Max. veteris necessitudinis ac meriti memore, incomparabili modestia recusauit.*

*Mediolani sub Imagine domestica Cæciliæ Cataneæ apud Cæciliam Scotam Neptem.*

Hospes
Imaginem . legis . in . hac . tabula
CÆCILIÆ
Iulij . Catanei . ac . Lucretiæ . Casatæ
Filiæ
Cuius . in . liberali . facie . delineatam . legerat
Homo . omnium . literarum
OCTAVIVS. BOLDONIVS
Imaginem . Fœminæ
Genesi . Genio . Ingenio
Principis:
Solaque . hac . dote . contentus.
Vxorem . Discipulam . Heredem
. Felicibus . legit . auspicijs:
Redditam
Fœcundam . liberis . Sexdecim
Ad . Musas . ad . Togas . ad . Infulas . editis:
Instructam . Latinis . Græcisque . literis
Historia . Poësi . Cosmographia . Astronomia
Institutam . fortunarum . suarum . omnium
Quia . ante . virtutum . Heredem . ex . Triente:
Dignam . tali . Herme . Athenam
Dedicandæ . in . Academiam . tam . florenti . familiæ
Cæcilia . Scota
Francisci . de Ponte . Vxor
Neptis . ex . Liuia . filia . natu . Quartadecima
Heres . nominis . Cultrix . memoriæ
Laribus . suis . ac . Penatibus
Decorandis . Dedicandis
Ponebat.

*Sub Imagine Vincentij Velluti in tabula apud heredes, in Prætorio Gallucij in Campania.*

Quam . vides . imaginem
Vincentii. Velluti
Ne. Hominis. imaginem. puta. sed Virtutis
Viuit. in. hac. tabula. Vincentius
In. Vincentio. Virtus
Tametsi. ille. virili. ætate. hic. spiret. senili. expirauerit
Sed. præpropera. fuit. non. præpostera
Pictoris. manus
Quæ. nouit. haud. consenescere. virtutem
Metiendumque. viribus. virum. non. annis
Abijt. hinc. Vincentius. non. Obijt
Integer Seculo
Integer Vita
Integer Sensu
Vt. facile. credatur. hic. expictus
Aut. Ianus. geminus
Lapsum. Mortalitatis. seculum. hinc. respiciens
Inde. lapsura. sine. lapsu. secula. aspiciens. Immortalitatis
Aut. Gerion. tergeminus
Naturæ . Gratiæ . Beatitatis
Dotibus. coronatus
Aut. Heros. quadrigeminus
Prudentiæ. Iustitiæ. Fortitudinis. Temperantiæ
Numeros. in. se. omnes. complexus
Ab. se. ad. heredes. transmittens
Veneramini. Hospites
Imitamini. Posteri
Æmulamini. Filij
Hæc. viuida. vel. Vincentij. vel Virtutis
Lineamenta.

*Romæ, refecto ac exornato magnificentissimè Ponte Tiberis, ad Arcem à Sancto Angelo nuncupatam CLEMENS IX. Pont. Max. apponi vetat insignia gentilitia ad sui memoriam.*

MEMORIAE. VOCALI. SACRVM

Hanc. Tu. Tibi.
CLEMENS. IX.
Magister. &. Pater. Orbis. Christiani
Memoriam. vel. inuitus. ponis
Nos. describimus
Reiectasti. marmora
Quibus. tuum. crederes. nomen. Augustum:
Subibit. Posteritatis. admiratio
Superstes. Tempori. coæua. Aeternitati.
Marginibus. hinc. inde. è. Pario. magnificis,
Transennis. cum. firmitate. elegantibus,
Signis. recentis. operæ. antiquæ. artis,
Conspicuum. effecisti. Pontem. simul. &. Fluuium:
Conspicuum. Te. magis. Mundo
Stemma. tuæ. Gentis. Vestigium. tui. Nominis
Appositum. nullum. volens
Aliorum. exesa. magis. restituens.
Feret. posthac (quis dubitet?) Feret. clementior. Tiberis,
Iugum. Pontis
Tantam. in. Clemente. moderationem. expertus:
Fluetque. iactabundus
Non. tam. oculo. transmeantis. Ciuis. Amasio. quàm
Spectaculo. plucherrimi
De. humana. ostentatione. triumphi
Quin. etiam.
Contendet. erigi. super. se. Religionis. ergò. simulacrum
CLEMENTIÆ
Ne. Arci. proximæ. concedat. in. pompa. Præsidis. Angeli
Fer. igitur. has. literas. clemens. hoc est
Non.

Non . alius . abs . Te
Fer . certè . ſonitum . Famæ . Fer. vota . Mortalium;
*MEMORIA. TVI*
Quia . iubente . Te . nuſquam . Poſita
Nuſquam . non . Poſita . occurret.
Cedunt . Tempori . dura . Marmora
Cedet . Tempus . Linguis . Hominum,
Quæ, tui . gloriam . nominis
Quæ, tantam . in . gloria . ſumma . modeſtiam
Pertinaci . traditione . indelebilem . reddent, ac
Immortalem

*Octauius . Boldonius . Episc. Theanen . venerabundus . dedicabat*
*Anno . Christiano . MDCLXIX.*



EPI-

# EPIGRAPHÆ MORTVALES

*In funere Annibalis Margarutij, patria Septempedani, Tribuni militum, Arcisque Ferrariensis Præfecti, qui Clericos Reg. S. Pauli administratores Sacrorum in Aede Diuæ Mariæ A luminibus, Vrbis Septempede heredes ex Testamento fecit: Nos ornandæ Pyræ Elogia quatuor de Virtutibus Cardinalibus Defuncti, rogatu & præscripto Collegarum, hæc pro styli tenuitate scripsimus, præmisso Titulo pro foribus exponendo in has notas.*

EXEQVIAE
ANNIBALIS. MARGARVTII
CVIVS
IN. BENEFACTIS. VITA
IN. BENEDICTIONE. MORS.

*In Elogijs autem fit alusio ad stemma gentilitium, supernè inter ipsa dependens, scilicet Solem, Lunam, Stellasque tres, tribus ea spatijs distributa complectens.*

I.

Prudentiæ. Trophæum.
ANNIBALIS. MARGARVTII
Ad. fasces. ad. imperia. nati
Qui
Clarissimo. genere. in. Septempedano. Cælo
Fulgens
Maiorum. suorum. faces
Maiore. incendit. Sole

Sol.

Sol. verus. Prudentiæ
Vtrumque. lustrauit. polum: illustrauit. cardinem
Ciuilis . Bellicæ
Clarissimis. æui. sui. Heroibus. lumen
Exemplo. afferens. auferens. gloria
Clauenna. Testis.
Quam. rexit Togatus:
Ariminum. Aemilia. Ferraria
Quibus. præfuit. Paludatus.
Tandem. Cælesti. Intelligentia
Mouente . monente
Post. emensum. LXXVI. annorum. Orbem
Inocciduus. gloria
S O L Psal.
Cognouit occasum. suum 103
Vitæque. immortalis. anhelans Hemisphærium
Splendidam. Christianæ. pietatis
A V R O R A M
Præmissam. voluit
Heredibus. suis. Clericis. Regul. S. Pauli. substitutis
Exemplo. prælucens. mortalibus
*Cæcam. esse. Prudentiam*
*Quæ. vitæ. mortalis. cursum, non. simul. metam*
*Prospicit.*

---

I I.

---

Iustitiæ. Trophæum
ANNIBALIS. MARGARVTII
Cui
Auitum. Stemma. nobilissimum
Auspicio
Egregiæ. successus. indolis
Elogio. fuit
H I C
Astra. propitia. imò. domestica, sortitus
Astræam. sibi. facilè. adsciuit. è. Cælo

In,

In . terris . Cælum . in . homine . mortali . immortale
Decus . miratam
Docuit
Exemplis . suis . clarius . quàm . alius . præceptis
Quid . SOLI . increato . Deo
Quid . LVNÆ . Patriæ . ac . Parentibus
Quid . SIDERIBVS . reliquo . Mortalium . gregi
Dandum
Suum . cuique
Reflexo . ipse . lumine . vicissim . fulgens
SOL . LVNA . SIDVS
Cùm . Astræae . lance . Lanceam . iunxit
Militiam . secutus
Numerum . Iustitiæ . vtrumque . absoluens
Iuris . cultor . vltor . Iniuriæ
Sanctius . in . Iure . Arma . quàm . Ius . in . Armis
reponens
Loquuntur . tot . Martia . ipsius . facinora
Quibus . impotentis . dominatus
Potenter . fregit . audaciam .
Ferro . Iustitiam . seruauit . viuens . Auro . moriens
Amplissima . huic . Templo . legata . hereditate
Deo . quod . acceperat . reddens
Hunc . non . Fortunam . fortunarum . largitorem
Professus

*Discite . iustitiam . moniti*
*Eius . causa . non . Ferro . parcendum . non . Auro*

III.

Fortitudinis . Trophæum
ANNIBALIS . MARGARVTII
Venerare . Patria
Defuncti . Ciuis . exuuias
Tot . opimis . hostium . exuuijs . gloriosi
Tuus . Tibi . quoque

A N-

ANNIBAL

Antiquæ . ne. inuide. gloriæ
Picenum . Africæ . Septempeda . Carthagini
Afer . ille . melius . vafer . quàm . fortis
Tuus . iste . non . laboribus . in . acie . fractus
Non . delicijs . in . statione . mollitus
Antipœnum . dices ? Parùm
Proitalum ? Non . satis
Italiam . quippe
Ab . externis . iniurijs . vindicandam . aggressus
Externis . in . oris . campos . suis . adaperuit . pugnis
Complanauit . Trophæis
Impias . belli . faces . proprio . mersas . cruore . restinguens.
Triumpharunt . Margarutia . virtute
Vexilla
Sabaudi . Reguli . Magni . Ducis . Etruriæ
Reip. Venetæ . Pontificum . Maxx. quinque
Triumphator . ipse . gloriosior
Tot . collectis . palmis . quot . pugnandi . messes . oblatæ.
Vis . seriem . Bellorum ?
Italicum . Gallicum . Illiricum
Rhæticum . Pannonicum . Africum
Tam . multis . vnum . suffecisse . minus . est
Quàm . nec . vni . tam . multa
Cui . enim . non . defuere . Palmæ
Superfuit . Palmis . locus .
Ætate . media . exequata . Æternitas . est
Compositis . ad . pacem . rebus
Militarem . Præfecturam . gessit . Æmiliæ . vniuersæ
Arcem : Vrbis . Ferrariæ . Gubernator . administrauit
Vt . vel . imbellem . ætatem . Senectutem
Bellicosus . obiret . abiretque
Relicto . posteris . exemplo
*Viro . forti*
*Si . desit . alibi . in . se . ipso . nunquam . deesse*
*Victoriæ . Segetem .*

IV.

Temperantiæ . Trophæum .
ANNIBALIS . MARGARVTII
Cuius . à . laude
Erumpentes . ferales . lacrymæ
Temperare . iubent
Temperantiæ . insignis . fama . inhibet
Temperent . certè . atramentum . lacrymæ
Atro . vt . in . argumento . clarescat . paululum
Lucreturque . iactura
Quod . Naturæ . non . habet . beneficio .
Sed
Quid . clarius . ad . prodigium
Quàm . ad . Solem . Gloriæ . non . caligare . superbia
In . serie . Victoriarum . insolita . non . insolescere
Extollente . fortuna . non . extolli ?
Hæc . Hæc
Laus . & . Laurus
ANNIBALIS
Hæc . nobilis . pompa . Victoris
Vt . quod . potest . nolit . Qui
Quod . velit . potest
Hostis . toties . cedebat . campo
Quoties . Margarutia . cædebat . dextera
Cui . deuictorum . fortunæ . vnà . cum . capitibus
Toties . oblatæ . ablatæ . nunquam
Quippe . vnum . illi . studium . pacis
In . bello . fuit
Vnum . in . victoria . spolium
Gloria
Quæ . nec . superbos . indomitos
Nec . subiectos . obrutos . patitur
Speciosissimus . omnium . triumphus . vt . cederet
Vbi . Triumphatricem . Triumphantium . Intemperantiam
Tyrannum . animi . captiuum

Anni-

Annibal duceret
Doceretque
*Frustra . se . Triumphatorem . hostium . quemquam . iactare*
*Qui . captiuum . libidinis . Animum . præfert*

---

*Theani desiderato Iulio Barattuccio Ciue elegantissimo, & nulli non caro, mœrorem communem obsequio nostro temperauimus, ornatis Epigrapha Exequijs, ac Tumulo.*

*Exequiarum titulus.*

---

Parentalia
IVLIO . BARATTVCCIO
Ciuium . Theanensium . nobilissimo
Religiosiss. . Iustiss. . Humaniss.
Heus . Ciues
Cauete . ne . simul . cum . tanto . Viro
Religioni . Iustitiæ ; Humanitati
Veræ . insignibus . nobilitatis
Parentetis
Prouidete
Ne . quando . à . prætereuntibus . improperabundis
Dicatitetur
VAH . THEANVM
Olim . Virorum . Patria
Nunc
Pyra . Virtutum .

---

*Tumuli verò Titulum, Urb Companiæ oppido ponendum, ubi tùm forte Præfecturam gerebat, ita scripsimus.*

IVLIVS. BARATTVCCIVS
H . S . E
Io,Iacobi. Demarchæ.Infantium.in.ferie.annor.CCC. noni
Et. Lucretiæ. Martinæ. de. Carles
Filius
Theani. natus
Neapoli
In. Aula. Excell. Helenæ. Aldebrand. Ducis. Montragoni
Educatus
Post. summos. honores. in. Patria
Fundis. Gubernator. generalis
Maligna. febri. correptus
Itris. Magistratu. ipso. cum. vita
Abdicatus
Omnium. ordinum. præcipuè. pauperum. lacrymas
Habuit. parentales
Qui. omnium. erga. se. habebat. amorem
Raptus
IV. CAL. AVG. M. DC. LXVII.
Heu. fatum. acerbum
Quadragenario. minor
CLARICES. VXOR
Bernardi. de. Laurentijs. Patritij. suess.
Toparchæ. S. Angeli. in. Grotte. Filia
Et. Fabius. Barattuccius. germanus. frater
Æternum. collacrymantes
Poss.

*Florentiæ in Aede Diui Caroli apud Patres Ordinis nostri funus boni Ciuis ibi celebratum prosecuti stylo sumus, Titulo, ac Cenotaphio inscriptis.*

*Tituli Epigraphe.*

Funus
RVBEI. RVBEII
Heus. Ciues
Hùc. non. mœrorem. modò. ferte
Sed. studium
Ne. cum. Ciue. integerrimo
Ipsa. simul. integritas
Funeretur.

*Aliter. sed prior probata.*

RVBEI. RVBEII
Exequiæ
Vestris. dignæ. lacrymis. Ciues
Dignæ. studijs
Iactura. Ciuis. optimi
Ingenuo. mœrore. testanda
Virtutis. æmulatione
Reparanda.

Ceno-

*Cenotaphij Epigraphæ gemina. Prior huiusmodi.*

PIIS. MAN. S.
RVBEVS. RVBEIVS. CIVIS. FLORENT.
Ingenio. candidus. Vita. integer. Fide. incorruptus
Inter. otia. priuata. impatiens. otij
Inter. negotia. ignarus. fraudis
Inter. compendia. rei. familiaris. nescius. auaritiæ
In. se. frugi. parcusque
In. Christi. pauperes. largus
In. omnes. munificus
Vitæ. ingenuæ. religiosæque. metam
Ipso. tetigit. Die
Cujus. recursu. Sospitator. hominum
Virgineo. conceptus. vtero
Mortalitatis. iniuit. cursum
XXV. Martij. M. D. C. LV.
Octogenario. minor. annis. tribus

*Posterior.*

D. O. M.
RVBEI. RVBEII. CIVIS. FLORENTINI
Vitam. è. Morte. pretiosam. æstiment. Hospites
Præiudicauerint. Mortem. Ciues. è. Vita
HIC
Inter. probos. industrius
Inter. industrios. probus
In. multo. ære. aureum. quod. rarum. est
Retulit. seculum
In. Senio. septem. &. septuaginta. numerans. annos
Ad. geminatam. vitæ. harmoniam
Deuixit. Fer. V. in. Cœna. Domini. hora. noctis. quarta
Qua. ipsa. hora. recolitur. in. horto. Getsemani
CHRI-

CHRISTVS. IESVS
Amaras. prælegens. orando. fruges. Passionis
Sic. mortem. oppetijt. homo
Dum. pro. se. tristis. ad. mortem. vsque. langueret. Deus
Suum cum. illo agonem. mortis. iunxit. ad. fortitudinem
Sudore. illius. sanguineo. contra. Tartareum. luctatorem
Inunctus. est. ad. victoriam
Tùm. maximè. RUBEVS. è. Sacrosancto. cruore
Processurus. ad. palmam
* Tandem. diutino. exercitus. morbo
Diuinisque. Mysterijs. Ecclesiæ. munitus
Agonothetam. Iesum. nactus. est. in. Cælo. beneuolum.
Ne. Lector. mirere
Talem. ille. inuenit. exitum
In. quo. Ætas. &. Mores. antiqui. certabant
Tale. fecit. Mortis. pretium
Qui. pijs. maximè. largitionibus. vitam
Impendit.

* *Ne vnà alteri aduersari videatur Epigrapha de Rubei nostri obitu, monendus es, lector incidisse in diem ipsum obitus Festa duo, nimirum Cœnæ Domini, & Virgineæ Annunciationis, ad quæ duo fit diuisim allusio. Fuit autem Annus MDCLV.*

*Exequiarum Titulus Equiti Pandolfinio, Florentiæ, in Aede S. Caroli apud Patres Ordinis nostri, variatus ad delectum.*

EQVITI. DOMINICO. PANDOLFINIO
ATRATA. PIETAS
CANDIDVM. PERSOLVIT. OFFICIVM

*Ali-*

*Aliter.*

EQVITI. DOMINICO. PANDOLFINIO
CIVI. PRATENSI
VLTIMVM. PIETATIS. OFFICIVM
IN. ATRO. CANDIDVM.

*Aliter.*

PARENTALIA
EQVITI. DOMINICO. PANDOLFINIO
HODIE HVIC
O
CIVES.

*Hunc postremum Titulum moratum voluimus, & quod ita commendabilior, & quod frænum dicaculorum quorumdam in defunctum; cuius fortuna inuidiam multorum ciuerat, vt conijcere est ex Epigrapha Memoriali* En. vobis. Pratenses.

*Inferias ritu apparatissimo celebraturi Patres Ordinis nostri in oppido Piscia defunctis Ciuibus, quorum pietate res sacra apud ipsos aucta erat, has à Nobis Inscriptiones exegere.*

*Pro foribus Aedis.*

| | | |
|---|---|---|
| Quisquis ades, benedic cineri, bene Manibus opta: Qui benefacta tulit nunc benedicta petit. | SVFFRAGATIO CLERICOR. REG. S. PAVLI IN. DEFVNCTOS DE. TEMPLO. ET. COLLEGIO DIVÆ. VIRGINIS AB. ANGELO. SALVTATÆ BENEMERITOS. | Nos benedicta damus quod vos benefacta tulistis: Sed benefacta putat quæ benedicta Deus. |

In

*In fronte Cenotaphij, quod medium Cellæ ampla structura tenebat.*

| | | |
|---|---|---|
| Dat paleas, aurumque, igni faber Aurea vobis | Collegium. Pisciense<br>Clericor. Regul. S. Pauli<br>Fundatorum<br>Beneficiorumque. merita<br>Celebri. Sacrificiorum. pompa<br>Recolens<br>Gratam. memoriam<br>Semperque. viuam. in. mortuos<br>Profitetur. | Sunt merita: Ah paleæ sit quoque in igne mora. |

*Ad dexteram Cenotaphij.*

| | | |
|---|---|---|
| Quæ terris pauisti, pariunt me pignora Cælo. | Quod<br>In. huius. fundationem. Templi<br>Latæ. effuderunt<br>Manus. vestræ<br>Nunc<br>Manes. vestri<br>Læti. recipiunt<br>Pro. auro. beatitatis. aureolam<br>Pro. cœno. Cælum<br>Pro. terris. Æthera. | Natum Nutrici cernite adesse Patrem. |

*Ad leuam.*

| | | |
|---|---|---|
| Quæ per vos capimus, cupimus cum fænore vobis. | Quod<br>Vestra. nos. beneficentia<br>Viuimus<br>Piscienses. mortui<br>Beneficij. memoria. in. nobis<br>Viuit<br>In. vobis. meritum<br>Simul. vt. viuat. merces<br>Vitam. vobis. immortalem<br>Quandiù. viuimus<br>Vouemus<br>Vita. simul. & vota. | Quæ cupitis, capite ò præmia Diacitò. |

*A tergo.*

| | | |
|---|---|---|
| Fama operum viuit. Sanctarū gloria rerum. | Agite. nunc. piæ. Animæ<br>Legite. vestræ largitatis. fructum<br>Seuistis. in. terris<br>Quod. meteretis. in. Cælis<br>Ignobilis. fundus. sed. felix<br>Cuius. seges<br>Centuplo. cum. germine<br>In. Cælum. vsque. consurgit | Permanet: vltores comprimit vna rogos. |

*Monumentum Mariæ Principis à Sabaudia, Virginis Deo sacræ, vt poneretur Assisij in Aede Diui Francisci, variè descriptum.*

MARIA
Princeps. à. Sabaudia
Caroli. Emanuelis. Ducis. &
Catharinæ. Austriæ. F.
Ex. Ordine. Tertio. Diui. Francisci
Virgo. Sexagenaria
*Vt. ne. mors. quidem. à. Seraphici
Patris. sinu. diuelleret
Testamento. hic. humari. iussit
Decesserat. Romæ. An. MDCL...

*Vel.*

MARIA &c.
Ex. Ord. &c.
Virgo &c.
Hic. humari. Testamento. iussit
Vt. Patri. Seraphico
Mortalitatis. reliquum. quæ. totum. vouerat
Dedicaret.

*Vel*

*Vel*

Vt . quæ . Patri . Seraphico . ſe . totam . dicauerat
Nihil . ſibi . reliquum . reciperet.

*Vel*

Virgineum . corpus
Dignum. Seraphico. Tutelari. Anathema.

*Vel*

Spiritum . incorruptum . & . corpus
Seraphico . Patri . recipiens
Reliqua . Naturæ . permittens .

*Vel*

Calore . Seraphico . refoueri. ſperans . ad. vitam.

*Vel*

Incendio . Patris . Seraphici
Recaleſcere . ſperans . ad . vitæ . immortalitatem .

*Vel*

Ne. vel. corpore.quæ. ſperabat. animo. à. Seraphici. Patris
Abeſſet . amplexu .

*Vel*

Intaminati . depoſitum . corporis
Apud . Seraphicum. Numen . tutè . commendans .

*Vel*

Deuotæ . reliquias . vitæ . ad . plenum . holocauſtum .

*Monumentum Tumulo, quem sibi viuens destinabat Eminentissimus Card. Volumnius Bandinellius ad pedes Marmoris, quod nuper Alexandro III. eius Gentili magnifice erexerat in Basilica Lateranensi Alexander VII. P. M. describere nos iussi breuitate quam maxima, ieiunè ideo, ac citra fucum encomij, sola designati mentione loci, ita variè fudimus.*

D . O . M.
VOLVMNIVS: TIT. S. MARTINI. IN. MONTIB.
PRESB. CARD. BANDINELLIVS. SENENSIS
* HANC. QVIETIS. SEDEM. DELEGIT
AD. TVBÆ. SVPREMÆ. SONITVM
AN. M . D . C . L . X . I . V.

* *Vel.* 1.

Hic. ex. tenebris. lucem. expectans: sibi. V. F. Anno &c.

*Vel.* 2.

Supremum. meditans. diem. locum. hunc. sibi. prospexit. ad. diem. Æternitatis. An. &c.

*Vel.* 3.

Viam. vniuersæ. carnis. ingressurus. hoc. sibi. parauit. hospitium.

*Vel.* 4.

Aeternam. lucem. anhelans. noctem. mortis. hic. viuus præuertit.

*Vel.* 5.

Mortalitatis. deponendæ. sarcinæ. hoc. saxum. destinauit.

*Vel.* 6.

Mortalitati. suæ. deponendæ. conditorium. hoc. destinauit.

*Vel.* 7.

Mortalitatis. hanc. metam. Viuus. sibi. constituit.

*Vel.* 8.

Exuendæ. mortalitati. spoliarium. hoc. præsumpsit.

*Vel.* 9.

Rogum. hic. sibi. struxit. &. nidum.

*Vel.* 10.

Vbi. dormiat. ad. tubæ. sonitum.

*Vel.*

*Vel.* 11.

Hic. ſtrauit. donec. illuceſcat. dies.

*Vel.* 12.

V. F. vt. quieſcat. donec. optata. veniat.

*Vel.* 13.

Ex. corruptione. regenerationem. hic. expectat.

*Vel.* 14.

Ex. his. vmbris. lucem præſtolatur.

*Vel.* 15.

Apodyterium. carnis. hic. Pos.

*Vel.* 16.

Volumnij. Bandinellij &c. In. patriam. tendentis. hoſpitium.

*Vel.* 17.

Volumnij &c. Domus. temporaria. donec. æterna.

*Vel.* 18.

Volumnij &c. Cælum. petentis. Hoſpicium. alterum (vel) ſecundum.

*Quo ex numero Epigrapham ſextam eſſe probatam, & marmori mandatam, nuntiat Amicus Romæ. Cum obierit Volumnius Card. an. MDCLXVII. Prid. Non. Iun.*

*Epigrapham rogati ſepluchralem à ſacro Viro inſcribendam in limine Templi, ſenſu Chriſtianæ pœnitentiæ, ſeptem modis ipſam dictauimus, videlicet.*

CIVIS . HOSPES

HEV

Quiſquis. ſupplicaturus. ingrederis

Pedibus. me. tuis. premendum. offero

Vt. leuer. precibus

Nequiſſimus. improborum

Hic. humatus

N . . . . . . N . .

*Ali-*

*Aliter.*

Auguſtum. limen. o. quiſquis. petis
Ciuis. Hoſpes. Viator
En. ego. ſub. tuas. ſubijcior. plantas
Suffragationem. humiliùs. efflagitans
Peccatorum. miſerrimus
Hic. ſepultus.

*Aliter.*

Ad. ſacrum. limen. oſſa. depoſui. mea.
Tuæ. pie. Ciuis. preces
Vt. Animo. æternas. pulſent. fores.

*Aliter.*

Subſiſte parumper
O. quiſquis. ſubis. voti. cauſa
Attende. peccatorum. deterrimum
Ac. miſereſce
Tuis. trador. terendus. pedibus
Vt. digner. precibus
Hic. tumulatus.
N . . . . . . N . .

*Aliter.*

E H E V
Ad. ſacrum. limen. iaceo
Tuis. dignus. calcari. veſtigijs.
Pie. Ciuis
Ah. ne. indignus. leuari. votis
N . . . . . N . . .

*Ali-*

*Aliter.*

Ad. limen. ſacrum. en. iaceo
Heu. Ciuis
Aeternas. Tu. mihi. fores. precib. pulſa.

*Aliter.*

En. ſacrum. ad. limen. iaceo. miſereſcito. Ciuis
Aethetium. votis. Ah. mihi. pande. tuis.
N . . . . . . . N . .

*Octauij Malaſpinij in oppido Petra ſancta in Etruria tumulati, petentes à Nobis Epigrapham ſepulchralem ſodales Auguſtiniani, relatis defuncti meritis quadrifariam retulere; videlicet.*

D. O. M.
OCTAVII. MALASPINII. MARCHIONIS
TVMVLVS
Procul. hinc. horror
Principis. Heros. familiæ. Heres. virtutum
Mathildis. congeneris. ditior. coniugio
Religione. Prudentia. Vrbanitate
Ac. ſingulari. merito
In. ſacram. Auguſtinianorum. familiam
Præfulgens
Collegit. hic. radios. Non. extinxit
Orientem. Aeternitatis. faciens
In. Occaſu
Deuixit. An. humanæ. reparationis. MDC. . .
Aetatis. ſuæ. . . .

*Ali-*

*Aliter.*

D . O . M.
OCTAVII. MALASPINII
Marchionis. Cæsarei
Ossa. hic. cole
Qui. nomen. quisquis. es. colis
Illustrissimi. stipitis. nobile. germen
Mathildis. Malaspiniæ. Coniugis
Domestica. insitione. nobilius
Splendorem. Gentilium. cumulauit
Suarum. fulgore. virtutum
Prudentiæ. in. primis. ac pietatis. in
Sacrum. Augustinianorum. Ordinem
Numeros. omnes. absoluens
Numerum. seculorum. absoluendum
Resumendis. ad. vitam. nobiliorem. ossibus
Hic. expectat. Excessit. An. Dominici. Aduentus
M. DC . . . . Ætatis. suæ . . . .

*Aliter.*

D . O . M
OCTAVIVS. MALASPINIVS. MARCHIO
Vix. cineres. suos. hic. reliquit
Qui. suæ. Gentis. nobilissimos. traduces
Ad. omnes. Europæ. principes. familias
Suarum. nomen. virtutum
Ad. omnes. terras. propagatum. reliquit
Prudentia. facile. primus. sui. seculi
Munificentia. in. Augustinianam. familiam
Nulli. secundus
Magnam. Animam
Terrarum. pertesam. angustias
In. Cælum. transmittens
Voluit. hoc. saxum. Mortalitatis. metam
Immortalitatis. limen
An. Christiano. M.D.C. . . . Ætatis. Suæ. . . .

Ali-

*Aliter.*

D. O. M.
OCTAVII, MALASPINII
Marchionis. Illustrissimi
Quisquis. hic. Nomen. legis
Agnosce
Inter. decora. virtutum. equestrium
Idæam. Prudentiæ
In. demortuo. adhuc. viuam
Simulacrum. Pietatis
In. expirante. spirantissimum
Semperque. gratam. fouens
Augustinianæ. familiæ. memoriam
In. Dynastam. beneficentissimum
Mathildis. quoque
Gentilis. suæ. coniugium. staret
Ni. cœlestium. amor. nuptiarum
Terrenis. diuortium. indixisset
Migrauit. à. puerperio. Virginis. AN. M.D.C..
Ætatis. suæ. . . .

*Ibidem humati apud eosdem Patres Petri Marsichij Epitaphium nos rogati bifariam dictauimus.*

D. O. M.
Petrus. Marsichius. Andreæ. F. Patritius. Florent.
Miræ. indolis. ad. militiam. strenuitatis. Liberalitatisque
Æquandæ. paucis. Post. præstitam. semel. operam
Regi. Christianiss. Eques. Semel. &. iterum. Magno
Duci. Etr. Dux. peditum. Inuictus. vbique. hic. sternitur
Morte. non. vincitur. Annos. natus. octo. &. viginti
Fulmen. bellicum. vix. ideo. monstratum. Mundo
III. Cal. Iul. An. Sal. M. D. C. I. L.

*Aliter.*

D . O . M.
Petrus. Marsichius. Andreæ. F. Ciu. Nob. Flor.
Ad. laureas. militares. natus. Quas. semel. in. castris
Regis. Christianiss. ad. Cremonam. Eques. Sub. signis
Magni. Ducis. Etr. semel. iterumque. Dux. peditum
Dum. strenuè. capessit. ipso. heu. ineunte. cursu
Eripitur. morbo. Ætatis. an. XXVIII.
Iuuenis. ingenuus. fortis. liberalis. citra. exemplum
Elatus. pompa. militari. quàm. honorificentissima
Hic. pos. cineres. III. Cal. Iul. M D C I L.

*Pisciæ in oppido Etruriæ, pernobili; ad vnam Columnarum Templi Stephaniani, quæ Cellam hinc, inde longo ordine fulciunt more Basilicarum adscribi mandauimus in marmorea tabula Columnæ ipsi circumuoluta Monumentum pro subiecto tumulo ad basim. Cuius quidem Tumuli locum visum est ibi potissimùm deligere vt Columnæ illius, quæ ex insculpto stemmate, ac literis peruetustis perspicitur pium opus Gentis Fortiæ, & illustretur memoria, & perennet ad posteros. Geminum verò dictauimus Epitaphium, videlicet*

Post. Funus
Pauli. Ant. Fortij
Guido. Vincentius. Fratris. Fil.
Equ. &. Archidiac.
Ossib. ad. Gentilitiam
Columnam. appositis
Inscripsit
Non. Plus. Vltra
Et. tanti. Patrui. meritis
Et. suo. mœrori
M. D. C. L. V.

*Ali-*

*Aliter, sed superius prælatum.*

D .· O .· M.
Pauli. Ant. Fortij
Guido. Vincentius. Equ. &c. Archid.
Fr. Fil. mœstiss.
Ossa. recenti. huic. tumulo
Memoriam. vetustati. Columnæ
Gentilitiæ. commendauit
M. D. C. L. V.

*Pisis in Templo Maximo Tumulus est, vbi Portam maiorem intraueris ad leuam, exquisitæ ille operæ, ac magnificentissimæ structuræ vario ex marmore sed spatio inscribendo infelicibus adeò arctus angustijs, vt laudes immensæ defuncto debitæ magna cum iniuria penè tumulatæ existant, his tantummodo per Nos vix delibatis. Videlice*

Iuliano. Medici. Archiep. Pis. cuius pietas
Maximè. enituit. collata. in. egenos. domestica
Supellectili. pretiosiore. Prudentia. Legatione
Varia. pro. Sereniss. MM. DD. Etr. Ordin. in. Germ.
Hisp. q. Extraordin. in Hungar. Boem. Polon
Ad. Regem. quoque. Gall. Cui. cum. minaciss. copijs
Ad. fauces. Italiæ. prorepto. reditum. feliciter
Persuasit. Laurentius. fratri. desideratiss. &c. in
Omnium. memoria. victuro. ne. quid. desit. ad
Gloriam. H. M. P. An. Sal. M. D. C. L. X.

*Ibidem in Diuà Theresiæ apud Sanctimoniales.*

D. O. M.
BERNARDINO. MARIANO. PISANO
E. lignaria. opera. ad. Sacerdotium. Dei. nutu
Euecto. Vt. Euangelica. Paupertate. Caritate
Innocentia. eruditus. Deo. idiota. & in. simpli
citate. dicendi. Eloquentissimus. veterem
Christiani. Sacerdotij. normam. instauraret
Sanctimoniales. S. Theresiæ
Fundatori. suo. Altori. Patri. pientiss.
POSS
Eius. quàm. tristes. de. obitu. tam. patrocinio. de
Cælo. fretæ.
Desideratus. est. Aetatis. suæ. An. LIII. Chisti. verò
M D C X X X I X.

*Ibidem, in sacro Claustro, quod vulgò Campus Sanctus, petente Barthol Chesio, peritia legum, ac integritate morum viro conspicuo, Epigrapham mortualem Collegæ suo, dedimus in hanc formam.*

PAGANINO. GAVDENTIO
Philos. Theol. I. V. C. sua. ætate. citra. æmulum
Naturali. probitate. ingenuitate. studio
Reip. citra. exemplum
Humaniores. literas. &. Politicen. in. Pisana. Academia
Per. annos. XXI. professo
Quanta. cum. gloria
Testatur
Perlata. in. remotissimas. nationes. fama
Oraculi. desiderio. confluentes
Transmissa. typis. ad. posteros. Volumine. multiplici
Multiplex. eruditio

Edi-

Edituro. plura. si. vita. superfuisset
QVI
Quacunque. de. re. consultus
Indeficientem. pandebat. ex. tempore
Doctissimæ. dissertationis. venam
De, se. tamen. parcus
Vix. hæc. habuit, fato. propinquus
Rhætia. me. genuit. docuit. Germania. Roma
Detinuit. nunc. audit. Etruria. culta. docentem
Obijt. diem. Pisis. impauidus
An. Dom. MDCIL. III. Non. Ian.
Natus. Ann. LIII.
Barthol. Chesius, Ciuis. Pis. I. C. & in. Pis. Gymn.
I. Ciuil. Professor
Executor. Testamentarius
Tantam. literarum. iacturam. deplorans
Pos.

---

*Sacræ Virginis in Vrbe nuper desideratæ, cuius vitæ probatissimæ quæ vulgò admiranda circumferuntur, mandare nefas est literis ante oraculum Pontificium: Sed cum Nos Epitaphium rogaremur, ita stylum studuimus temperare, vt nec plenum Elogium, nec ieiunium omnino dederimus; adhibito autem sale Euangelicæ parabolæ ex decora argumenti. Vt fit. euaserit; censuræ subijcimus meliori.*

---

MARIÆ. VICTORIÆ. ANGELINIÆ
VIRGINI. SEPTVAGENARIÆ
CÆLESTI. SPONSO. OBVIAM. PROFECTÆ
PLENA. OLEO. PIETATIS. LAMPADE
CLERICI. REG. S. PAVLI
ALVMNÆ. MIRABILI
POSS.
M. D. C. L. I. X.

Pis-

*Piscia.*

D . O . M.
Petro . Bonuicinio . Pifcienfi . Andreæ . F.
I. V. C. Laureato
Infignis . Ecclefiæ . Pifcien. Canonico
Illibati . candoris . &c . Innocentiæ . V
Sacerdotio . in . Vrbe . in . Patria . Apoftolicè . functo
Ætatis . anno . fepties . fepteno
Abfolutæ . nimirum . Virtutis . geminato . fymbolo
Cælum . petenti
Ioannes . frater . I . C.
Inter . Patriæ . communem . mœrorem
Suum . ipfe . fcribens . in . marmore
Pof.
Defideratus . eft . an . Sal. M. D. C. IL.
VIII. Cal. Iul.

*Aliter; meliore id confilio.*

D . O . M.
Petrus . Bonuicinius . Pifcien. Andreæ. Fil. I. V.C.
Canonicus . Infignis . Ecclefiæ . Pifcien
VNVM
CÆLESTIS. PATRIÆ. BONVM
ÆSTIMANS
Hoc . fibi . pro . Monumento . Votum.

Ioannes . Bonuicinius . Fr. I. C.
Superius . Epitaphium
Quod . idem met . Petrus
Communi. fama.Sanctitatis. iam. exemptus. mortalibus
Octauio. Boldonio. Cler. Reg. pòft.Epifcopo.Theanenfi
Amico . coniunctiffimo. in. fomnis. dictauerat. excudendum .

dum. curauit. An. M.D.C.L X V I
Vt. qui. ætatem. ſuam. viuens. impleuerat
Cæleſtium. odore. virtutum
Impleret. mortuus. poſteritatem. memoria
Obierat. M. D. C. L. VIII. Cal. Iul.
Vnde-quinquaginta. annos. natus
Vale. Frater. &. nos. tecum. in. Cælum. trahe
Vt. olim. exemplis. ita. nunc. precibus.

---

*Liburni in Etruria, ad Diuæ Mariæ, apud Minores S. Franciſci, oblatam Tabulam marmoream ſeplucralem ouata figura ita deſcripſimus.*

---

TRINVNO
GEORGIVS
VVIERTSIVS. VIENN
AVSTR. NATIONIS
GERM. AC. BELG. CONSVL.
LIBVRNI. SIGNIFER
DEQ. FAMIL. SERAPH.
B . M
V HOSPICIVM F
HIC. CARNIS
CVM. SPE
PATRIAE
SIBI. SVISQ
ANNO. A. CHRISTI
CVNIS
MDCLVIII

---

*Montispolitiani ponendum fuerat subscriptum Monumentum.*

IVSTINIANI . BENCII . POLITIANI . OSSA
Marcelli . Peditum . Ducis . F
Iustiniani . Tribuni . N
Cuius . peritiam . Iuris . ex . Allegationib. doctiss.
Roma . perspexit . in . vigesimo . secundo . iam . tùm
Adolescentis . anno
Innocentiam . vitæ . probauit . S. Philippus . Nerius
Viuens
Alumni . sui . obitum
Consulto . mox . precibus . Deo
Felicem . renuntians
Spinellus . Bencius . Fr. natu . maior . nec . voto
Minor. hic. posi.
Raptus. est. Florentiæ. VI. Id. Sept. M.D. LXXXXIV.
Aetatis . suæ . . . .

*Rogatu Michaelis Iustiniani Abbatis, scriptoris eruditissimi, vt nostram potius tentaret fidem inter sexcenta negotia, quibus tùm fortè distinebamur, quam vt ingenioli nostri subsidio opus haberet Cræsus ingeniorum nostri seculi; Inscriptionem hanc quasi ponendam Gentili suo in Cathedrali Strongolensi transmisimus.*

D . O . M.
TIMOTHEVS . IVSTINIANVS
Patricius . Genuensis . ex . Dominis . Chij . Insulæ
Hanc . Vrnam . vix . implet
Qui
Ordinem . Prædicatorum . Alumnus
Orientis . plagas . Vicarius . Generalis . peregrinorum
Oecumenicum . Tridentinum . Conc. Confessor
Arien . Calamonen . Chien. Strungulen. deinceps . Sedem
Episcopus

Tur-

Turcicum. Orbem. occupata. Chio
Candidatus. Martyrij. pro. Sanctiss. Eùcharistiæ. cultu
Præclara. Religionis. Prudentiæ
Doctrinæ. Caritatis. Fortitudinis
Fama. compleuit.
Historicis. materiam. suppeditans
Christianis. exempla
Profanis. Admirationem
Ethnicis. Salutem.
Natus. An. Orbis. Redempti .. M. D. I.I
Desideratus . M.D.L.X.X.I
Michael. Iustinianus. Abbas. in. Coniunctissimum. suum
Obseruantissimus. P. MDCLX.

---

*Petente Io. Antonio Ghettio Abbate illustriss. Neapoli.*

---

Quem. vitæ. candor
ANGELVM
Omnium. præsentem. Amor. decedentem. Luctus
FELICEM. FECIT
Hic. Situs. est
ANGELVS. FELIX. GHETTIVS
Caroli. Oruietani. F. Romanus
Carpignani. Dux. Zullini. Toparcha
Ereptus
Ætatis. An. XLIII. Men. ac. D. II.
XV. Cal. Apr. MDCLXIV.
Io. Ant. Abbas. Ghettius. Fratri. Eheu
Vnico. ac. Desideratiss.
Pos.

---

*Florentiæ in Diuæ Luciæ de Magnolis.*

O. qui. secundis. flatibus. vela. datis. Mortales
En. quo. tandem. alliditur
Paulus. Pries. Matthiæ. F. Patria. Florentinus. Natione. Alenconiensis. in. Normannia. agente. Genio primæ. ætatis. crepundia. fecit. meditationem. Militiæ. mentem. adijciens. præceptis. manum. stylo vt. iam. tum. de. Re. bellica. consultus. dissereret &c. quæ. disseruisset. ichnographicè. promptus. exprimeret. Adolescens. tyrocinium. triennio. egit. Classiarius. Magni. Ducis. Etruriæ. Ex. quo. apud. Belgas. priuatus. miles. ad. honestiora. sensim. adscitus Signifer. primum. in. Bredana. obsidione. auctarium. quoque. stipendij. multiplici. opera. meruit Hinc. Germaniam. adiens. Cæsarianus. gradatim. Dux. Quippe. arcibus. locisque. passim. explorandis muniendis. delineandis. adhibitus. atque. omnibus prælijs. per. id. tempus. non. inuulneratus. confligtans Lutzenensi. in. primis. quod. Gustauo. Regi. Sueco fatale. fuit. &c. eo. atrociore. Nerolingensi. Dein. Protribunus. Principis. Picolominei. Mox. &. sacræ Cæs. Maiestatis. Tribunus. Florentiam. expeditus est. Vbi. post. varias. armorum. præfecturas. à. Sereniss. Ferdinando. II. Generalis. Metator. subinde Tribunus. renuntiatus. Liburni. demum. Arcis. nouæ. Præfectus. diem. clausit. cumulatus. adoreis. fraudatus. annis. si. robur. spectetur. ætatis. & cursus gloriæ. Natus. annos. LV.
Cosmus. Pries. desideratissimi. fratris. cineribus. hùc comportatis. M. P. An. M. D. C. L V I.

*Theani in Diui Antonij Patauini ad Aram Deiparæ sine labe concepta, tumulo communi Filij fratris, & Patrui.*

Memoriæ. Sacrum.
Franciscus. Toraldus. Theanensis. I. V. Cons.
Octauij. Boldonij. Episcopi. ex. insperato. Vicarius Gener.
Patriæ. Gentis. Cleri
Gemma. O nefas! Hic. clauditur
Quem
Honestissimæ. familiæ. germen. vnicum
Dulci. spe. propagandæ. Deo. vota
Præoptantem. Sacerdotium
Inter. primas. acclamationes. admirantis
Prudentiam. Ciuitatis
Maligna. febri. raptum
Matthias Toraldus
Canonicus. Ecclesiæ. Cathedralis. Præbendarius
Et. sacræ. Pœnitentiæ. Præf.
Patruus. optimus. caritate. plus. quàm. Patris
In. fratris. filium. plus. quàm. Filij. amores. meritum
Hostiam. Deo. semel. atque. iterum. obtulit
Intrepidus. pectore. incorruptus. vultu
Abramus. alter. quàm. amantissimus
Isacum. quàm. dulcissimum
Decesserat V. Cal. Octob. M. D.C. L. X. V.
Tricenario. minor. dieb. LXXVII.

Quam Cernis. Viator
Alteram. alteri. Vrnam. appositam
Ne. Lachrymarum. hanc. puta. Sed. Cinerum
Matthiæ. ipsius. Toraldi
Qui. bis. extinctam. vidit. siccis. oculis
In. Francisco. Filio. Fratris. ocello. suo
Prosapiam

*Theani Anno 1669. die 21. Ian, in Diuæ Virginis, titulus hic extemporalis, à nobis appositus Pyræ mortuali.*

EXEQVIÆ DIANÆ
Francisci. Antonij. Barattuccij. &. Violantæ. de. Monte
Filiæ
Nicolai. de. Renzis
Vxoris
Annos. natæ. XXII.
Ex. puerperio. primo extinctæ
XVIII. Cal. Februarij. Luna. XIV.
Heu. fatum. acerbum
MISERESCITE. CIVES
In. vnius. Ciuis. vestræ. casu
Tergeminæ. luctum. familiæ. primariæ
LVGETE. VIRGINES
Dianæ. vestræ. ante. diem. obitum
Lunæ. deliquium. ante. ipsum. Plenilunium
PAVETE. NVPTÆ
Lucem. fœtuum. vestris. tenebris
Ortum. occasu. Diem. nocte
Constare
VOVETE. SENES
Vitæ. Immortalis. hemisphærium. &. vobis. pandi
Cum. Diana. iuuencula
Christianis. Mysterijs. lustrationibus. votis. tutò
Deducta.

*Liburni in Etruria, scripta, non posita.*

BEA-

BEATRICEM
Antonij. Brandani. Filiam
Vlyssipone. genitam
Liburni. natam
Romæ. educatam
Ac. Francisco. Mendezio. nobili. Lusitano. nuptam
Sexdecennem
Heu. innocenti. in ætate. maligna. febris. extinxit
De. hoc. vno. ream,
Quòd. Matronali. grauitate. senili. prudentia
Præuertens. annos
Metam. vitæ compendio. contigit
Spe. Viri. ac. familiæ. lugentis
Fraudata
M. D. C. L. I. X.

---

*Nam nostra reiecta, melioris hæc fortè scalpri posita est; Tu naris emunctæ, Lector, sic accipe.*

---

*A. M. D. G.*
*Mortis Viator babe varium vitæ cursum*
*Quo septendecim annorum interuallo*
*Beatorum patriam tenuit*
*Beatrix Antonij Brandani Filia*
*Vlyssipone genitam Liburni natam*
*Excultam Romæ ibique Francisco Mendes Lusitano nuptam*
*Liburni receptam, & inde mortalitatis è littore soluentem*
*Anno M. D. C. L. IX. 22. Nouemb. portus æternitatis excepit*
*Vt terris & alto iactatam*
*Tranquillitatis perpetuæ sinu componeret*

---

*Subijcimus leuidensem Epigrapham obseruantiæ gratia in Manes desideratissimi Sacerdotis, alio, quàm nostro stylo digniores; petentibus Patribus Augustinianis ponendam Emporij insigni in oppido agri Florentini. Tibi ergo, lector, ne puteat quod, stylo fortasse sordet, non argumento, videlicet*

---

LAV-

LAVRENTIO. VRSACHIO. EMPORIENSI
Eremitarum. Augustinianorum. Lumini
Post. omnes. honorum. gradus. in. Ordine
Ad. summum. communibus. votis. tendenti
Sed. sanctiùs. renuente. Fato
Procuratorem. Generalem
Examinatorem. Episcoporum
Censorem. S. Inquisitionis
Per. quindennium. Romæ. agenti
Collectori. Priuilegiorum. ac. Interpreti
Scriptori. quoque. Historiarum. Ordinis
Quibus. de. suo
Additamentum. obtulit. magnum. vitæ. sanctissimæ
Conuentus, Emporiensis. Cineribus. hic. asseruatis
Æternum. Honoris. testimonium. Pos.
M. D. C. X. X. X. I. I. I.
Θ Sexagenarius.

*Mediolani in Diui Caroli apud Patres Carmelitas Discalceatos, pro Tumulo Ioannis Brabi cùm alias alij suggessissent Epigraphas, optimas illas, sed prolixiores multo, quàm ferret spatium tabulæ marmoreæ iam (contra bonas leges) definitum, & operosissimè consummatum: Nos tandem nostram rogati dictauimus iustæ breuitatis, quæ & incisa est, & ibi posita oculatissimo loco. Sed & Francisca Guasca Comes Montis Castri, Brabi ipsius Vxor, & auctrix operis, suam sibi quoque à Nobis dictari, & superiori subnecti iussit, videlicet*

D. O. M.
IOANNES. BRABVS. DE. LAGVNA
Pius. Fortis
Zafferiæ. Cæsaraugustanæ
In. Hispania
Antuerpiæ. Vrbis. & Arcis
In. Belgio
Alexandriæ. in. Italia
Gubernator

Le-

Legionis. Sabaudiæ. Insubriæ
Tribunus
Transpadani. Exercitus. pace. belloque
Imperator
Consiliarius. Regius
In. In_Subria. In. Hispania
Secretus. Supremus
Virtute. ac. Fortuna. concertantibus
Hic. iacet
Fortuna. defunctus
Superstes. Virtute
M. D. C. X. X. X. V. II

FRANCISCA. GVASCA
Comes. Montis. Castri
Ioannis. Brabi
Vxor
Æmula. Virtutis
Fortunæ. Comes.
Thalami. socia. &. Tumuli
Monumentum
Sibi. ac. Viro. conterminum
Pos.

*Florentiæ in Diuæ Mariæ ( vulgo in Verzaià ) iacent reliquiæ Iulij Bertij subter imagine picta Beati Aloysii Gonzagæ, quem & apprime coluerat; & eius vitam lyricè ad omnes carminis delicias cecinerat. E regione extat tumulus Lazari Bertij fratris subter Imagine picta S. Angeli Custodis. Is & Iconem vtramque, & Tumulum fratris, ac suum curauit Epigrapharum nobis cura mandata, quas ita cudebamus.*

D. O. M.
Quem . cernis . Hospes . pictum . in tabula
B. ALOYSIVM . GONZAGAM
Cernere . licet . æmula . pietate . Spirantem
In . Poemate . Lyrico
IVLII . BERTII . FLORENTINI
Qui . vti . stylum . Sacrauerat . inclyto . suo . Tutelari
Ita . cineribus . infra . hanc . eius . imaginem . conditis
Votum . suum . Viuus . testatum . fecit . & . mortuus
Obijt . An . CIϽ . IϽ . C . IL . VII . Cal . Nou . Natus
An . XXXIX .
Elatus . est . cum . serto . floreo . more . Virginum
Et . loco . Præficæ . fama . Sanctitatis
Appositusque . hoc . eodem . in . Tumulo . ad . parentes
Alexandrum . Bertium . Dianoram . Ghirelliam
Honestos . religiosos que . Coniuges

---

D. O. M.
LAZARVS . BERTIVS
Iulij . frater . è . regione . tumulati
Iconas . S . Angelo . Custodi . ac . B . Aloysio . Gonzagæ
Mutuis . conspectibus . pos . ornauitque
Vt . Animorum . coniuncta . studia . sequacem . haberent
In . posteritate memoriam
B . Gonzagæ . erga . S . Custodem . de . quo . piè . scripserat
Et . Iulij . Bertij . erga . B . Gonzagam
In . cuius . scripta . de . ipso S . Custode . piè . luserat
Carmine . sæculari . inscripto
An . M . D . C . L . II
Valete . Manes . Fratris . felices
Nos . quoque . talibus . post . Sanctos . nexibus
In . Cælum . trahite

---

*Ibidem ad Diui Michaelis Antinorum, rogati subministrauimus Epitaphium modis quinque, videlicet.*

I.

D . O . M.
VLYSSES. GALEFFIVS. LVDOVICI. F.
Natione. Pisciensis. Ciuitate. Florentinus
Qui. ob. singularem. fidem. integritatemque
A. Sereniss. Matthia. Principe. ab Etr.
Præfectus. Ærario
Ob. ingenij. solertiam. in. mercatura
Fortunatus
Maioris. Fortunæ. Spem
In. Cælestium. transtulit. rationes
Anno XXXVII. ætatis. decedens
Æternitatem. mercatus. æuo. breuissimo
Tumulum. hunc.
Sibi. et. posteris. gentilibus. coemptum
Occupauit
An. Sal. M. D. XXXXIII. Cal. Apr.

I I.

D . XQ . S.
VLYSSES. GALEFFIVS. LVDOVICI. F.
. . . . . . . . . . .
Sereniss. Matthiæ. Princ. Etr.
Ab. Ærario
In. Mercatura. solers. integer. fortunatus
Nulli. inuisus. omnib. gratus
Succiso. Heu. Ætatis. flore
Hoc. est. anno. XXXVII. desideratus
Hic. iacet
Fauore. omnium. in. mœrorem
Commutato
An. Sal. M. D. C. XXXXIII.

III.

DEO . VNI . TRINO.
VLYSSES. GALEFFIVS.
. . . . . . . . .
Sereniss. Princ. Matthiæ . ab . Hetr.
Præfectus. Ærarij
In . mercatura . integer . ac . fortunatus
Immortalitatem . Fortuna. meliore. festinauit
Hoc. Tumulo . Sibi . Suisque . posito
Anno
Ætat. suæ . XXXVII. Christi . MDCXLIII.

IV.

D . O . M.
VLYSSES. GALEFFIVS. LVDOVICI. F.
PATRIA. PISCIA
CIVITATE. FLORENTIA
Candidus . Mercator . ac . fortunatus
Ser. Princ. Matthiæ . ab . Etr. Custos . Ærarij
Ad . Merces .Ærariumque . Cæleste
Fortunatior . maturauit . acerba . in . ætate
Ann. XXXVII.
Hoc . sibi . Posterisque . Tumulo . destinato
MDCXLIII. XII Cal. Apr.

V.

V.

VNI . ET . TRINO
VLYSSES. GALEFFIVS. LVDOVICI. F.
. . . . . .
Ab. Ærario. Sereniss. Princ. Matthiæ
Mercator. integer. ac. fortunatus
Cursum. peregit. Ætatis. An. XXXVII.
Heu. nimium. brevis. erroris
VLYSSES
Hac. suis. gentiliumque. cineribus. Vrna. constituta
M D C X L I I I.

*Piscie in Diuæ Virginis apud Clericos Reg. S. Pauli, ex argumenti, & loci conditione.*

D . O . M.
Et. Pijs. Man.
MARIETTÆ. ADIMARÆ
Ciuis. honestiss. Florentinæ
Quæ. Viro. soluta
Michaele-Angelo. Galeotto. Piscien
Quæq. Dei. sunt cogitans
Secundas. in. Cælo. nuptias
Egregia. in. Templum. hoc. &. Collegium
Liberalitate
Viuens . Moriens
Adornauit
Clerici. Regul. S. Pauli
Inextinctam
Pientissimæ. fœminæ. memoriam
Hoc. monum. testantur.
Deuixit. Septuagenaria. minor
An. Christiano. M. D. C. XXXIII. Idib. Sept.

*Mediolani, ad Sacellum Diuæ Virginis (vulgò) Annuntiatæ, in Diui Barnabæ apud Clericos Reg. vnde Barnabitarum cognomentum traxere.*

D . O . M.
ALEXANDER. MODRONVS
Marchio. Zorleſchi
Chriſtianæ. virtutis. fœcundus. & . prolis
Septendecim. acceptis. filijs
Obtulit. Deo. gratus. ſupra. Decimam
Duodecim. ex. his
Religioſæ. vitæ. dicatos. ac
Primogenitos. ipſos. Quinque. Ordini
Clericor. Regul. S. Pauli
Adſcriptos
Tandem. ſuperſtites. ſui. iuſtos. relinquens
Ad. Patrum. conſortionem. in. Cælo. anhelauit
Suis. votis
Auguſtæ. Virgini. Deo. fœtæ. commiſſis
In. hoc. Sacello. ab. ſe. coempto. dotatoque
Ac. Cineribus. hoc. Tumulo. conditis
Ann. MDC . . . . Vixit Ann. . . . . .

*Poëtica Epigraphe extemporalis in Tumulum N. hominis mendaciſſimi, cum alluſione ad carmen Dauidicum* Omnis homo mendax. Pſal. 115.

VRNVLA. IN. HAC. PARVA
CLAVDITVR. OMNIS. HOMO

In-

*Infantis Tumulus*
*Nati post obitum scelesti patris funestum, in Vrbe Theano.*

VIATOR
Breuem . hanc. Vrnam. incuriosus. ne. præteri
Campum. aperit. eruditionis. peramplum
Claudit. Alexandrum. Alexandri. N. primogenitum
Infantulum. trimestri. minorem
Posthumum, &c. O. nefas. Postorcum
Qui
Consilio. plusquam. senili. properauit. splendida. hereditate
Cum. vita. cedere
Ne. simul. spiritus. patrios. hauriret. hereditarios
Iniuriam. putans. beneficium
Huius. solis. diuturnum
Quod. antè. diutiùs. ad. Patris. flagitia. conniuisset
Denique
Vbi. famam. Sulphureo. extincti. fulmine
Proprijs. vagitibus. præualentem. audiuit
Exhorrescens. pupulus. lucemque. pertæsus
Datos. à. Genitore. artulos. damnauit. his. tenebris
Datam. à. Deo. Animulam
Ad. meliorem. reddidit. lucem
An. à. Christo. Infante MDCLXVII.

*Piscia, apud Cler. Reg. S. Pauli, ad sacellum Diuæ Virginis ab Angelo salutatæ.*

D. O. M.
IOANNES. BAPTISTA. CECCHIVS
ET
PANTASILÆA. LVZZANIA
Coniugio. iuncti. Pietate. concordes
Voto. pares

Sa-

Sacellum . hoc . &. Tumulum
Largo . ære . legato
Condiderunt
Funus . idem . &. fœnus
Piæ . largitionis
anhelantes

Par . felix. Thalamumq. vnum . Tumulumq. petiſtis
In. Cælo. Thalamus . credite . et . vnus . erit.

CLERICI REG. S. PAVLI
Opt. merentib. Poſſ
M . D . C . X . L . V . I I
Cal. Dec

*Iocoſa ſeriјs intermiſcere licebit, quando in vtriſque Ars probatur, Ergo in Canis defunctæ exuuias ſeruatas, petente Ioanne Baptiſta Gondio Patricio Florentino, ac Primo A ſecretis politicis Sereniſſ. Ferdinandi II. Magni Ducis Etruriæ, ita luſimus*

Cuius . cernis . Viator . exuuias
CORSA . FVIT
Venatu . et . fidelitate
Non.minùs.quàm
proceritate . et . forma
Celebris
Septendecennis
Promeritâ . nominis . æternitatem
Domini . ſui
Delicium . olim . et . Amor
Nunc . Deſiderium . et . Mœror
Abi . Lector
Et . vèl . in . brutis
Imaginem . venerare
Virtutis

*Catelli Topinæ filij casus*
*In Aula Magni Ducis Etruriæ, operam literariam*
*Serenissimi Principis Cosmi pueri*
*Intercepit mærore*
*Epicedium nostrum extemporale.*

Facessite . Musæ . Parcæ . ruunt
Apage . tuos . Cupido, lusus
Abijce . Tu . quoque . Arcum . Cynthia . Effringe . Sagittas
CATELLA
Natu . generosa . educatione . Regia . prole . felix
TOPINA
Dum . catulum . badium . adolescentulum
Bellulum . blandulum . lasciuulum
Ludibunda . exercet
Eheu . Agit
Incauta . præcipitem
E . summis . Regiæ . menianis
Ipsa
Tanto . orbata . pignore
Simul . Herum . suum . meritissimum
Iustis . orbat . delicijs
Fraudat . amoribus
Eheu
Facessite . Musæ . Adeste . Præficæ.

Su-

*Supremam diem biennio ante nobis præsentem suspicati, præuertendam putauimus subsequenti Epigraphe.*

|VIVENS| D . O . M. |FECI|

Octauius . Boldonius . Mediolanensis
Ex . Clericis . Reg. S. Pauli
Episcopus. Theanensis
Hic . Iaceo
Supplexque. rogo
Annis . sex . et . sexaginta
Laboribus . sexcentis
Fesso
DA
IESV. OPTIME
DIC
Viator. Pie
REQVIEM. ÆTERNAM
Natus . sum . anno seculari . M. D. C. Ibid. Febr.
Denatus * M DCLXVI.
*
Scilicet mecum ipse Horatianum illud reputans
*Quis scit, an adijciant hodiernæ crastina summæ*
*Tempora Dij superi?*

*Florentiæ in Diui Caroli apud Clericos Reg. S. Pauli*

D . O . M.
MIGHAEL. ANGELVS. ORADINVS. PISCIEN
Sereniss. Leopoldi . Principis . ab . Etruria
A . Cubiculo . intimus
S. ANGELO. CVSTODI
In. Sodalitio . hic. erecto . Deuotus
Vt. quo . Tutelari . vigilauit

Inco-

Incolumis . ad . multam . ætatem
Eodem . securus . obdormiscat
Ad . Mundi . Nouissimum . diem
Tumulum . H. sibi . Affinibusque . & . cui . sodalium
Censuerint . Præsides . Sodalitij
Viuens . pos. An . Sal . MDCLIV
Occupauit . MDCLXI. Annos . natus . LXXI.
.M. O. D.

*Pisis, quod subijcitur, ponendum fuerat Monumentum:*

XPO . DEO . SACR.
N I C O L A O
Gherardi . Agliati . & . Franciscæ . Venerosæ
F. I. C.
Ex . familijs . Pisanarum . veterum . nobilissimis
Sed . Paterna . in . primis
D I V O . G H E R A R D O
Patriæ . Patrono . Gloriosa
Equitibus . quoque . Panormi . Hierosolymitanis
In . honoris . gradu . positis . Nec . non . Toparchis
Quos . Duces . Salæ vocant . Ad . hanc . diem . florentibus
Annibale . Fr. in Primitiali . Æde . Pisana . nuper
Archipresbytero
Vt . gloriæ gentilium . in . Terris . æmulus
Consors . in . Cælo . assideat
CAMILLA . SOROR
Voto . concepto . Pos.
Ex . defuncti . Testamento
An . Christiano . M.D.C.LII. Decesserat. MDCLI.
V. Kal. Maias
Ætatis . suæ . IL.

*Verùm auaritia latomi in breuiore marmore coëgit Epitaphium contrahi non sine iniuria defuncti, quam Nobis tamen compensare visum fuit integra Inscriptione nuper allata ad familiæ honorificentiam; & eadem ipsa contracta mox afferenda ad veritatem positi marmoris æquà ac detestationem iniuriæ, videlicet*

D . O . M.
Nicolao . Agliato . Gherardi F. I. C.
Ex . nobilissima . Pisanarum . veterum . familia
Diuo . Gherardo
Equitibus . Hierosolymitanis
Ducibus . Salæ . Panormitanis
*GLORIOSA*
Camilla . Soror . Mœstiss.
Ex . testamento . Defuncti . Non . suo . voto
P. MDCLII.
Abierat M D . C L I.
VI. Kal. Maij
Vndequinquagenarius

*Iniurij essemus visi in Manes Sigismundi germani nostri desideratissimi, nisi his paginis memoriam illius, quæ in alienas inuasit, libaremus: & quidem historicè ex candore officij referentes ex vero, quam multa ipse compendio annorum, quos vixit, pericula fecerit ingenij: Compendiosa idcirco Epigrapha huic loco indicta instruximus Cenotahpium ex naturali historia de Insula Thule sub latitudine posita graduum LXIII. cuius dies longissimi Solstitio Aestiuo, Hyberno breuissimi, ac penè nulli. Ita verò accipe, Lector.*

SI-

SIGISMVNDVS . BOLDONIVS
MEDIOLANENSIS
H S E
CVIVS
CVRRICVLVM . INGENII
ÆSTIVO
CVRRICVLVM . VITÆ
HYBERNO
SOLSTITIO . THVLES
QVAM . SIMILLIMVM
STETIT . ÆTATIS . ANNO
QVOTO . ET
CHRISTVS . SERVATOR
XXXIII . MEN. III.
ORBIS . SERVATI
M . D . C . X . X . X

*Vt autem legenti planum fiat, quo in genere literarum floruerit Sigismundus, subijcimus Epigrapham alteram: in qua, si forte audaciores videbimur in laudes defuncti, condonabis (spero) Lector desiderio lectissimi fratris præpoperè erepti.*

MEM. INDEFLETÆ. SACRVM
SIGISMVNDI. BOLDONII. MEDIOLANENSIS

Bustum
Phoenicis
Sextodecimo seculo
à. Christo. nato
visi
Reuiuiscente Gloria
Tullij. Liuij. Plinij. Cæc.
Maronis. Tibulli. Tassi
Ad. Cineres. quamquam. ante. diem
O. nefas
Coacti. liuore. Parcarum
Disparuit
Trieteride. ætatis. Vndecima
Et Trimestri
A. D. M. D.C. XXX.

*Notæ.*

Tullij, *id est Oratoris eximij, vt ex volumine Orationum numero Vigintiquatuor, quæ ex incendio quodam inuidiæ pluribus vix superstites lucem aspexerunt studio Iac. Pananti in vrbe Luca MDCLX.*

Liuij, *id est, Historici lepidi, testimonio Annibalis Campegij in Elegia ad Larium, quem historicè descripsit Sigismundus ætatis suæ anno decimoseptimo (quod ipse quoque declarat in Epist. Dedicatoria ad Herculem Sfondratum Ducem Montis Martiani) Quo autem plausu literatorum, probat libellus ipse tertium excusus typis, habeturque sub finem voluminis Orationum post Orationem XXIII.*

Plinij Cæcilij *Epistolaris elegantiæ Principis, quem ille studuit imitari, Volumine Epistolarum posthumo (edito Mediolani anno MDCXXXI.) quas quidem sicut ex tempore dictauerat pro re nata; ita nihil minùs, quàm de vulgandis cogitauit. Id quod magis commendat subitariam styli lautitiam.*

Maronis. *Scripsit enim versu heroico Apotheosim Philippi III. Reg. Hisp. Idilium quoque ad Vincentium Nattam carmine huius prouocatus, vt in Volumine Epistolarum sub finem.*

Tibulli

Tibulli: *Elegiographi bene tersi, & ad delicias mollis, quem, quo vestigio sectatus fuerit Sigismundus, cognoscere licet ex Elegia ibidem descripta in diem natalem Francisci Boncompagni: luculenter autem ex manuscripto Protographo penes nos asseruato, vbi libris quinque persequitur Amores Amyntæ, & Leucidis. Hunc codicem Auctor habebat in scrinio reconditum, nemini hominum, præterquàm coniunctioribus participandum, quibuscum fidenter causari posset:* Lasciua est nobis pagina, vita proba.

Tassi, *Vt nullum relinqueret scribendi genus intentatum, etiam Etruscas Musas coluit vario numerò, heroico in primis, cuiusmodi* La Maddalena Piangente. *Item* La Maddalena Spirante: *quæ quidem poemata è manibus nostris elapsa aliquando interiere. Extat meliore hodie fato Poema eiusdem* (Caduta de Longobardi) *vindicatum labore Herculeo è manibus illius, qui rem omnem domesticam, & patrimonium Auctoris, testamento supposito compilauerat, summoque studio Ioannis Nicolai fratris absolutum* (*reliquerat enim mutilum*) *ac typis commissum Mediolani Ann. MDCLIII.*

*Notum est scripsisse Sigismundum alia compluria, Politica, Bellica, Philosophica, Poetica stylo florenti, & amœno, inchoata ferè illa aut nondum perfecta, quæ cum desiderio literatorum obortus repente epidimiæ turbo vnà cum ipso Auctore corripuit, ac peremit. Ne autem cum his memoria intercidat rerum quarumdam ab eo gestarum, hoc loco referre placet vel in exemplum, vel in admirationẽ.*

*Fuit Sigismundus adhuc pusio, titillante gloria Patris, & Aui, accensus supra, quàm credi potest, ad literas: Ita perdius, & pernox in lectione, vt vèl in mensa condimentum ab illa quærere videretur, oculos quandoque de libro, nisi de manibus excusso per parentes, minimè tollens. Quare necessariam corpori quietem, ac refectionem inuidens, morbum contraxit contumacissimum; cuius causa interdicto sibi a Medicis vsu vini perpetuo, egit fortunæ gratias, quòd ea via liberiorem faceret mentem ad disciplinas; In queis ita breui est prouectus, vt encyclopædiam penè ante pubertatem absoluerit, totasque hauserit Arctitectonicen, Rem Militarem, Astronomiam, Cosmographiam, Philosophiam, Poeticen, Oratoriam; linguas porrò (præter recentes Hispanicam, Gallicam, Illyricam) Græcam, Hebraicam, Latinamque ad munditiem.*

*Praeterea historias omnium temporum magnam partem percurrerit. Ac praeceptis disciplinarum haud contentus, adhibendum putauit cultum styli ad genus omne amœnitatis, vt diximus, tanto studio, & contentione, vt quotidie in Museum domesticum se abdens, interdicto cuiuis mortalium aditu, horas ipsas quatuordecim de die de nocte, meditationi tribueret. Ex quo mirari quisquis desinet hominem adolescentem in vario charactere expedire stylum tam feliciter valuisse. Mirabile id quidem forte, quod in gratiam Amici, qui clam cum sodali sponsionem fecerat magnæ vis auri, Sigismundum vt probaret, quaternis amanuensibus vno simul tempore argumenta dissertationum diuersa, ac diuersorum imitatione Scriptorum, arbitrio illa sodalis proposita, ignarus rei, & nihil præmeditatus dictauerit, singulas ijs periodos vno spiritu fundens ad metam vsque dissertationum, eo sermonis fluxu, atque elegantia, vt scriptiones illæ committi prælo integræ possent ad exemplum. Quod hercle periculum initio inuitus susceperat Sigismundus; Sed vbi negotium resciuit, pergratum habuit, victoriam proprio dedecore, vt aiebat, amicissimo suo peperisse. Illud certè argumentum est visum non tam ingenij facundia extemporali præditis, quàm mentis excelsæ, ac in acerba adhuc ætate, heroicæ. Colebat is Patauinum gymnasium Italia tota celeberrimum, Princeps lectus iuuentutis Insubricæ, ac Rectori illius, qui literariam exercebat dictaturam, peramicus. Solemne est quotannis instaurari publicè studia ab Oratore per Rectorem delecto, idque in summo Templo, in cœtu florentissimo Ciuium, Studiosorum, Doctorum, præsidentibus in Regia maiestate inter Magistratus Pretore, atque Vrbis Præfecto. Labebatur Annus MDCXVI. Ac III. Non. Nouembris, pridie illius diei, quo habenda Oratio, ecce rumor decumbentis improuiso morbo Oratoris; proinde desertam illam prouinciam esse, delusam omnium expectationem, Rectorem insperato casu perculsum, & consternatum; existimationem quippe suam expositam vulgi obtrectationibus, quasi imprudentia sua id factum fuisset; neque spem superesse per alterum Oratorem (vel si ab inferis Tullius excitetur) intra ambitum paucarum horarum partes tantas subeundi. Rumore perlato ad aures Sigismundi, quem quidem pridie ob coortam turbam inter iuuenes studiosos Insubricæ nationis cum*

alte-

altera iusserat Prætor continere se domi, indicta capitis pœna, si pedem efferret: mittit is ad Rectorem, vt alacri sit animo, persuasum habeat fore, vt oratio habeatur, satisque vincatur inuidia. Non erexit quidquam is nuntius Rectoris animum; Spem vnam, quàm fortè exhibere posset, ex facundia sua extemporali, interdicto illo Prætoris esse sublatam: bene enim perspectam sibi seueritatem Veneti Magistratus in compescendis præsertim motibus iuuentutis effrenis, è quibus timeri debeat Ciuitatis euersio. Verùm remisso nuntio iubet angorem penitùs excutere: nondum (Pol!) exploratam eum habere fidem Sigismundi: nec, quod is semel spoponderit, id firmum omnino fore: Et quidem Oratorem adfuturum postridie, prouinciam solemnem, si minus pro dignitate, pro tempore certè obeundam. Iam vesper incumbebat resq; erat vnius noctis. Cùm accersito Sigismundus sarcinatore, vestem pullam, ac talarem mandat sibi ante Solis ortum confici; continuò ipse orationem commentatur de Artibus, & Scientijs, argumento sane bello illi muneri, consilio autem pleno discriminis, sed feliciter audaci. Vbi verò illuxit, edici curat pulsu æris campani conuentum ad Orationem: tùm cogi ad se Iuuentutem Insubricam. Stata hora confluitur in sacram Aedem, adornatis per Aedilem subsellijs: Iamque pleno consessu, ac Prætore cum Præfecto Vrbis inter Magistratus in solium euectis, presto est Sigismundus cum longo Syrmate iuuenum, atra incedens in veste, oculis omnium, qui rem nouerant, in se se intentissimis, & animis expectatione suspensis, Rectore in primis stupente, ac sui ipsius incerto. Subit ille intrepidus pulpitum, instituit orare, at sub initium ipsum, vbi salutanda venit de more concio, abrupto filo descendit; adit Prætorem ac Præfectum, procumbit venerabundus ad pedes; tùm alta voce, Ego ille sum, inquit, Sigismundus, cui Vos, Excellentissimi Patres, efferenti pedem domo, pœnam capitis sanctissimè decreuistis. Quonam verò pacto ferrem ipse æquo animo, sublato fortè Oratore missam fieri hanc solemnem prouinciam, ex quo tantum refundatur dedecoris in Academiam Patauinam toto orbe celeberrimam; in Rempublicam Venetam, quæ tantis illam tuetur opibus: in vos maximè, Excellentissimi Patres, quorum fidei Patauina Ciuitas, atque Academia, gemina quasi pupilla Reip. Venetæ credita est? Ego quidem

*de dignitate vestra magis sollicitus, quàm mea ipsius vita, nequaquam timui hoc munus vsurpare, etsi minimè dubius de vestra seueritate, quin hanc meam, siue temeritatem, siue contumaciam creditam supplicio capitis punieritis. Idcirco autem funus meum censui hoc pullo, quem videtis, amictu praeuenire cum hoc tamen minimè desperans clementiae vestrae, peto supplex atque efflagito, liceat mihi institutam orationem suscipere, ad finemque perducere: Tùm verò libens hoc caput, hanc ceruicem securi subdam, gloriabundus praeterea, me hominem exterum tuendae causa existimationis istius Academiae nobilissimae, Sacrosanctae Reip. Venetae, Vestrae quoque, Amplissimi Patres, aetatulae meae primum florem prodacto sponte sanguine consecrauisse. Haec ferè cùm esset effatus, excelsa indole adolescentis vehementer commoti Patres, procumbentem erigunt, annuunt, suggestum vt repetat, vtque prosequatur interpellatam dictionem. Ille paret, voce resumpta alacriore, hilarioreque spiritu orat ita eruditè, copiosè, eleganter; memoriaque ita obfirmata, ac gestu meditato vt anni, non noctis vnius opus illud videri potuerit. Ergo ad pedes Magistratuum reuersus, plausibus concionis insolitis comitantibus: En, inquit, beneficentia ego vestra expleui munus: Si malè, plectite temeritatem duplo supplicij constituti: sin ustè, accipite benigni, quos offero laetabundus ad Aram Iustitiae vestrae incorruptae sudores hosce meae frontis confluxuros cum huius capitis sanguine mox obtruncandi. Haec vix loquutum excepere certatim Praetor ac Praefectus spirantes vultu charitatem patriam, nec sine lacrymis incumbentes ad amplexus & oscula; demirati non tam ingenium adolescentis, facundiam, ac literaturam cùm paucis huius saeculi comparandam, quàm studium exteri in Rempublicam Venetam accensissimum, & illud inuentum absque exemplo, captandae vèl ab infensissimis beneuolentiae singularis. Itaque & absolutus extitit mandato Praetorio, & Elogio multiplici celebratus, quo nullum fuit nobilius, quàm cognomentum Magni ab vniuerso Patauino Gymnasio ei delatum. Orationem verò illam, quam is foetum vnius noctis abortiuum vocitabat, compulsus fuit typis permittere qualem qualem ad verbum dixerat; Eamq. serò repertam adiecit Typographus ad calcem Voluminis Orationum, post indicem Larij.*

*Romae*

*Romæ in S. Sabinæ germanorum fratrum par egregium, Monumenta à Nobis sua; mutuo hinc inde aspectu ponenda exegere, Prius quidem vno ex tribus modis, videlicet.*

IOSEPHO. CIANTI
Roma Patriam
Ordo. Prædic. Disciplinam
Ecclesia. Marsic. Infulam
Virtus Immortalitatem
Mors Quietem
Dedit
Anno. Christiano. MDCLXX.
Anno. Suo LV.....

*Aliter.*

IOSEPHVS. CIANTES. ROM.
Episc. Marsicen
FVIT
SVPERFVIT
Decus Patriæ
Splendor Gentis
Honor Infulæ
Triumphus Laureæ.
Anno
Redempti. Orbis. MDCLXX.....
Ætatis. exactæ. LXX.....

*Aliter.*

Si. de. me. sciteris
Viator
IOSEPHVS. CIANTES. ROM.
Eram
Dominicanis Columen
Episcopis Lumen
Hebræis Fulmen *
Marsica. Ciuitas
Præsuli. Suo
B . M.
M . H . P
An. Sal. MDCLXX.....
Annos. Nato. LX.....

* *Is enim in sacro Ordine Prædicatorum prouinciam gessit quatuordecim per annos habendi Romæ conciones ad Nationem Hebræorum, quibus etiam conuincendis Diuum Thomam contra gentes Hebraice reddidit: Præterea Opusculum de SS. Trinitate ex antiquorum Hebræorum testimonijs euidenter comprobata. Nouissimè alterum de Humanitate à Diuino Verbo assumpta.*

*E regione autem, huiusmodi.*

Qui. me. vis. nosse
Iacentem. ex. aduerso. roga
Patria
Gens
Parentes
Institutum
Dignitas
Vna. amborum. fuit
IGNATIVS. EPISC. S. ANG. ET. BISACC.
In. oculis. Fratris. coniunctissimi
Securus. quiesco
An. Seruati. Orbis
M.D.C.L.X.X.
Ætatis. meæ. LXXIII.

*Post*

*In Diœcesi Theanensi Prouinciæ Campaniæ*

*Petrus Mazza ex Oppido Petra Vairana, consulta Argenta Marcelli, socru sua, Sacrosanctam Eucharistiam in pixide, furto surripit veneficij causa. Cuius Sacrilegij Reus suspendio, incendioque damnatur Neapoli 1669.*

Retrogredere, Impietas:
Hæc esto Tartarei meta stadij,
quam Non Plus Vltra.
Trophæum hic figitor
Ex Petra (cedo) an ex Stipite?
Petram certè delegerit Alumnus tuus
suo Nomini consonam
patrio solo congenerem
tempori duraturo constantem.
At
præualent procaces de proximo syluæ
lignumq; protrudunt
In quo scelus ille
Suspendi iussus, Cremari iussus.
Infandum!
Proditionem Christi persuaserant Iudæ
Argentei triginta;
Furtum Christi persuadet hodie
Argenta Petro.
Sed & Iudas à Cœna nouissima
Christi Corpus consecratum
traditur prodidisse Iudæis ad derisum:
Hic tetriùs
Ex Petro Iudas
Corpus idem consecratum prodit Furijs
ad maleficium
Quid ampliùs hìc hæres, Viator?
Horresce, & Fuge.

*Mediolani, subsidium postulanti tulimus Curatori exequiarum Orsinæ Principis in Diui Stephani; Collegæ quippe, & antè alumno nostro Aimoni Corio, alijs tùm fortè circumuento curis grauissimis. Ergo ad Oeconomiam apparatus excogitauimus labores Herculis ex opportuna appellatione Principis Herculis, coniugis defunctæ. Quo argumento haud illi improbato fudimus illico Inscriptiones duodecim in signa Zodiaci, quæ (ex placito veterum) typico Herculi laboranti arenam faciunt. Adiecimus autem & titulum, & clausulam gemmam ad operis absolutionem. Omnia hæc, tametsi nostro suppresso nomine descripta in Epigraphicæ nostræ libro IV. qui est de Breuitate Elogij, Membro V. hoc nihilominus loco repetimus de consilio amicorum, vt expromptæ nostro penu hæ quoque Epigraphæ, suo additæ corpori, fortunam communem subeant ceterarum.*

---

FVNVS
Principis. Orsinæ
Sfortiæ. Vicecomitis. Triuultiæ
Heu. Ciues
Triplicis; vnà. Solis. defectionem. acerbam
Inspicite. complorate
Illi. æs; triplex. circa. pectus
Cui. pelagum. fletus. denegant. oculi.

---

*Aries.*

Ingredere. Spectator. Theatrum. Cælo. dignum
Vbi. fœmina. Herculi. Hercules. Soli. fert. lucem
Intuere. in Ariete. cum. gloria, nascentis. Anni
Certantia. Orsinæ. cunabula.
Ætatulę. primę. stoliditatem. primum. Monstrum. obiectum
Sequaci. superauit. ingenio.
Nondũ firmatis. ad. gressum. plantis. iam. intēdebat. lacertos
Ad. pugnam.
Indulgentia. Cæli. Industria. culturæ. Indole. soli
Mirum. quas. edidit. gemmas. quos. flores. fudit
Vernans. in. spem. Regiæ. messis
Infantula!

*Taurus.*

Plausum. O. qui. dederas
Orsinæ. Infanti
Iam. Puellæ. Pæana. canito
Quæ. Taurum. cautius. Europe. tractauit
Rhinocerote. speciosius. lusit
Fabulæ. victrix. et. historiæ
Deo. ne. dum. Cæsare. digna. spectatore
Quidni. luxuriet, subdita. tellus. lasciuiente. in. Cælis. Tauro?
Sed. Nostra. petulantiam, nesciuit. pecudis
Cui. Rationis. Regnum. coæuum. fuit
Puellarem. continentiam. Infantilis. vigor. præcinuit
Tauro. prælusit. Aries.

*Gemi-*

*Gemini.*

En . tibi . nouum . Laboris . ſpectaculum . Monſtri. genus
Apage . horrorem
Geminorum. Sidus . concordiæ . fraternæ . monſtrum . dices
Tam . Cælis . clarum . quàm . rarum . Terris
Ni . mox . auocet . oculos . Orſinæ . lumen . concordiſſimæ
In . Coniugem . neceſſitudinis
Heu . vix . monſtratum . Terris . Monſtrum
Vinctos, nexu . gemino . ſanguinis . ac . partus . vicit . Hæc
Alio . edita . partu . alio . ſanguine
Illigata . Viro . irreſolubili . vinculo . inuiolabili . ſtudio
Quantumnam . fuit . à . Ioue . impetratum
Dimidium . vitæ . Pollucis . Caſtori . fratri . demortuo?
Viuit . non . alternis . diebus . ſed . continuis
Aut . vitam . Viri . Orſina . in . Terris
Aut . vitam . Orſinæ . in . Cælo . Vir .
Maiore . obiecta . luce . lucem . occulens
Geminorum.

*Cancer.*

Cancrum . qui . negat . cum . Cælo . cœnum . mutaſſe
Illuſtria . familiarum . haud . exempta . ſordibus . auaritiæ
Vel . iurat . vel . vouet
Sed . illum . Stellatam . in . Sedem reptaſſe
Sidereum . in . ignem . arſiſſe
Chelas . luce . parta . auratas . luciſque . auaras . alienæ
Tetendiſſe . qui . negat . lucem . negat
Orſinæ
Summa . temperantia . inter . fortunæ . blandimenta
Munificentia . inter . domeſticum . ſplendorem
Herculis . inſtar . Cœleſtis . premit . Sidus .
Pectoris . humani . Tyrannum
Sacra . auri . fame . reſtincta . enecat
Plus . luminis . diſperſis . colligens . radijs
Quàm . contractis.

*Leo.*

Macte. Titan
Instat. tuo. par. labor. labori. par. domitori. monstrum
Seu. horrida. Saltuum. lustres. seu. ardua. siderum
Vtrobique. tesqua. inhospita. Principis. feræ. rugitibus
Sed. claua. domuerit. sed. Solstitium. vicerit.
Principi. S.R. Imperij. Orsinæ. Trophæum. hoc. surgit
Quid. eius. ortu. generosius? Quid. vnà. ingenio. mitius?
Principem. in. homines. Fortuna. dederat
Humanitas. coronauit
Imperium. in. capita. non. simul. in. corda. exercere
Principis. ferarum. esse. declarauit
Dignissima. Imperij. Principatu
Orsina.

*Virgo.*

Iam. ponat. Exuuias. Leonis
Orsina
Sumat. Virginis
Quas. sua. exhibet. sibi. anhela. Mens
Labentis. in. Cælum. Astrææ. sequitur. pijs. votis. vestigia
Quò. laboriosius. hoc. Diuinius
In. Terris. procul. à. Terris. degere
Cælo. frui. procul. à Cælo
Hominem. caducum. sedibus. Diuorum. ingeri. diuersari
An. quisquam. locet. in. Terris. Cælos?
Potest. Orsinæ. pietas
Per. quam. licuit. ex. oraculo. audiri.
ERIT. FIRMAMENTVM. IN. TERRA
Erit. Erit. Astræa. inter. Mortales
Quamdiù. in. Stellas. sex. et. viginti. annorum
Vitæ. mortalis
Heu. nobis. Mortalibus. rapta
Promeritam. sedem. Astrorum. petat.

*Libra.*

*Libra.*

Triumphatam. Astræam. Libra. excipit
Opimum. spolium. vero. Ioui
Ab. Orsina. suspensum. in. Cæli. Templo
Desiderauit. Heroina. victricem. clauam
Successit. Libra. nobilius. insigne
Quid. Principem. à Tyranno. sanctiùs discriminat
Quàm. discrimine. in. subditos. æquo. Libra. pendula?
Orbem. diuidit. medium. luci. ac. tenebris
Diem. Noctemque. paribus. dispertit. horis
Virtuti. Iustitia. et. Vitio. intenta. pariter
Honoris.lucem.ac.præmij. Dedecoris.vmbram.et.supplicij
Æquata. meritis. lance. tribuens
Denique. Sidus. Libræ. tepidum
Orsinæ. temperatum. in. Terris. beatum. in. Cælis
Prædicat. Regnum.

*Scorpius.*

Et. hic. mirum. sine. labore. labor. Orsinæ
Cui. Alcidæ. cesserint. ne. dum. Oriones
Scorpium. Pugnatorum. monstrum
Mirmillone. trucius. Retiario. vafrius
Insidiosè. grassans. non. apertè
Cauda. fallens. non. scuto
Aculeum. tendens. non. rete
Vindictam. vsquè. anhelans.
Arma expediens. pugnam. meditans
Tale. Monstrum. qui. non. horreat
Dic. Monstrum. Magni. Animi.
Hoc. acceptis. præstitit. Orsina. iniurijs
Tam. nescia. vltionis. quàm. iræ. domina
Geniti. terra. Scorpij. genius. ignobilis. prauusque
Parentem. arguit
Orsinæ. proximam. Cælo. prosapiam. &
Cælo. parem. Christianæ. mentis. claritudinem
Magnitudo. Animi. omni. superior. iniuria testatur

Sagit-

*Sagittarius.*

Semiuirum . vinci . à . Viragine
Insania . armatum . Senem . exarmari
Plusquàm . virilis . fœminæ . sapientia
Hoc . citra . miraculum . Orsina . dedit . spectandum
Incertas . iactare . sagittas . furentis . est . animi
Irritas . peruersi . oculi . aut . inertis . manus .
Prudentia . singularis . Heroinæ . nostræ
Collimauit . certas . in . album . sagittas
Album . sibi . non . nisi . clarum . proponens
Diuinæ . gloriæ . Publici . boni .
Denique . Astrum . formæ . bicorporis . Sagittarius
Semiuir . Semiequus . totus . exit . in . beluam
Sed . & . beluina . esse . consilia
Docuit . Princeps . nostra
Quæ . praua . dictante . libidine . homini . excidunt

*Capricornus.*

Capricornum
Horoscopi . dominum , sortiti . Mortales . adorant
Non . sortiti . augurantur .
Sidus . tam . inuidendæ . virtutis
Vt . quasi . anceps . hìc . de . victoria . stet . Sol
Retrorsumq vestigia . relegat :
Lustrat . tamen
Et . hoc . Monstri . non . minore . quàm . cætera
Domat . constantia
Nec . fessus . reuersurus . sed . nouos . reparaturus . labores
Hic . planè . Orsinæ . Triumphus .
Vitam . imprimit . Sidus . bonam
Non . immunis . Iracundia . Cautione. Calliditate. Tristitia.
Tale . hinc . nostra . temperamentum . vitæ . collegit .
Quale . exigit . Triumphator . ab . Hoste . captiuo . seruitium
Bonitatis . totum . expressit .
Reliquorum . quantum . absoluendæ . numeris
Christianæ . ac . Principalis . vitæ . Satis

*Aquarius.*

Cedit . ſanctiùs, Ganimedes . Orſinæ
Quò . profaniùs . olim . Hebe . Ganimedi .
Monſtrum . Aquarij . fabuloſum
Vno . petitur . telo . veritatis . ac . ſternitur .
Non . Species . Pincernatum . Dei . conciliat. Sed
Pincernatus . Speciem
Opus.Diuino.haud.abſimile. In.miſeros.depluere.beneficia.
Studioſiſſima . miſerorum. Orſina . pluit . Aurum
Vt . non . calicibus . aquæ . frigidæ
Sed. aureæ . venæ . inexhauſtæ . reſupinatis . vrnis
Demereret . Cælum
Functura . Dei . pincernatu
Quæ . toties . Deo . in . egenis . propinauerat .

*Piſces.*

Piſces . Coronis . Laborum
Orſinæ . ſimul . aditus . ad . coronas
Sidus . morboſum . ſed . Fœcundum
Mutum . ſed . Cautum
In . pedes . humanos . dominans . ſed . Alatum
Numeroſa . Principis . noſtræ . imago
Morientis . dicam . an . Triumphantis ?
Tres . Heu . morbi . ad . necem . coniurantes
Puſtula . Maligna . febris . Abortus :
Sed . ſobole . quinta . ſuperſtite .
Lethales.inter.cruciatus.obmuteſcit.ad.querelas.ad.gemitus
Sed . colligitur . ad . Tartari . cauendas . inſidias .
Impeditur . Fato . Corpuſculum
Sed . Animula . in . Alis . expeditur . ad . Superos .
Faceſſite . Piſces
Sola . Vos . Fabula . &. Pictura .
Orſina . ſpectaculum . ſui . &. Miraculum
Obijt . cum . obeunte . Sole . Hora . Diei . XXIV.
Alterum . cum . Sole . Diem . cum . Hercule . Triumphum
Cælitibus . illatura .

Gala-

*Galaxia, seu via Lactea.*

Hem. Principis. Orsinæ
Terris. ereptæ. Qualis. panditur: ad
Empyreum. Via
Seu. Lacte. fluens. Galaxia
Seu. Sidere. frequente. strata
Tantæ. Animæ
Peregrinum. vitæ. candorem
Fulgorem. virtutum. innumerabilium
Cælesti. expingit. penicillo.
Procul. hinc. Superstitio
Hanc. verè. Heroum. Viam
In. cœtum. Deorum. abeuntium
Exemplis. suis. lepidiùs. monstrauit
Orsina
Quàm. suis. olim. fabellis
Vetustas.

*Iris.*

Sat. mœrori. datum
Ciues
Sat. luctui.
Eheu. iam. riuos. claudite
Nec. desiderium. vestro. maius
Nec. maius. pignus. solaminis
Soluit. Orsina. vectigal. mortalitati
Fructum. immortalitatis. exactura.
Iris. roscida. sed. nuncia. fœderis
Pluuiam. ciens. sed. vetans. diluuium.
Vestram. hactenùs
Deflestis. Ciues. orbitatem
Felicitatem. nunc. Defunctæ. gratulamini.
Sic. Principi. Optimæ. Iusta
Solueritis.

*Amici rogatu Epitaphium rusticum, ex decoro simplex, ac purum exarauimus.*

Pijs . Man
Pamphilus : N.
Sibi . Suisq.
Rure. occumbentibus
Donec
Ad. vrbanum. familiae
Si. fuerit. libitum
Transducantur
Defunctorium. hunc. Tumulum
Pos.

*Alicubi ponendum arbitrio heredum.*

VINCENTIVS. VELLVTVS
Familia. inter. patritias. Florentinas. clarissima
Baro. Galluccij
Pernobilis. ditionis. in. Campania
Mille. laboribus. tota. vita. exercitus
Martialibus. Politicis. Aulicis
Sed. omine. sibi. ex. appellatione. bono
Obstantia. vndique. monstra
V I N C E N S. V E L L V S que
Aureum. Gloriæ. sublatum. tradens. heredibus;
Suæ. hic. Mortalitatis. Vellus
Canitie. argenteum. ingenuitate. aureum
Deposuit
Resumendum. ad. Immortalitatis. pompam. explendam
Decessit
Centenario. maior
M D C L X . . . . . .

Rami-

*Exequiæ*
*Ramiri-Philippi Gusmani, Ducis Metimnæ à Turribus, In AEde Diuæ Virginis Ciuitatis Theani suæ ditionis in Campania celebratæ XI. Kalen. Aprilis, 1669. Nobis super argumenti inuentione consultis, ac rogatis de ornando Apparatu mortuali, multiplici Epigraphe.*

*Titulus in fronte AEdis pro foribus.*

RAMIRVM. PHILIPPVM. GVSMANVM
TERRIS. ABEVNTEM
IN. LVCTVS. IN. SORDES. ABIECTA
CIVITAS. THEANENSIS
VLTIMIS. PROSEQVITVR. OFFICIIS
DOMINVM. TITVLO
AFFECTV. PATREM
INCOMPARABILEM.

*Siquidem titulo Dominij paret Duci Metimnæ à Turribus Vrbs Theanum in Campania.*
*Subtus titulum hinc dextera Sceleti stantis in Basi attollebat stemma Metimnæum, Turribus suis ambitum. Ipsa verò in Basi lemma incisum ex Horatio.*

PALLIDA. MORS
AEQVO. PVLSAT. PEDE
PAVPERVM. TABERNAS
REGVMQ.
TVRRES.

Haud

*Haud absonum ab Regia stirpe, ex qua Ramirus deductus.*
*Inde in alterius dextera Sceleti stemma gentis Carafæ, ex qua Dominium Theanense in Ducem Metimnæ dotali iure translatum. In Basi lemma ex sacro Psalmista accommodatum.*

DEDIT. DILECTO. SVO
SOMNVM
ECCE. HEREDITAS
DOMINI
IN. MANV
FILII.

*Est allusio ad filium superstitem, heredem Dominij Theanensis.*
*Subeuntibus ianuam occurrebat Pyra mortualis ante Aram maximam se attollens in formam Diadematis, seu Coronæ Regiæ. Ea sceletis sex ambientibus, sustentabatur, dexteram illi manum admouentibus, in læua schedam ostentantibus, in qua distributus per totidem membra locus sacer Ecclesiastici Cap. 45. num. 14. Videlicet I.* Corona aurea. *II.* Super caput eius. *III.* Expressa signo sanctitatis. *IV.* Gloria honoris. *V.* Opus fortitudinis. *VI.* Desideria oculorum ornata.
*Eius loci explanationem, seu accommodationem cum laude varia Defuncti Principis exhibebant incisam stylobatæ Sceletorum, & harum in plinthis subiecta legebantur lemmata sacra alludentia in hunc modum,*

Coro-

Sub membro I. Corona aurea.

FORTVNATISS. PRINCIPI
RAMIRO-PHILIPPO. GVSMANO
CVI
CVM. NOBILISSIMAS. DYNASTARVM. CORONAS
AEMVLA. VIRTVTIS. FORTVNA. PLVRES. CONGESSISSET
PRINCIPALES. DVCALES. MARCHIONALES
COMITALES. DOMINALES.
MARCESCIBILES. ILLAS. TANDEM. CVM. VITAE. MORTALIS. FLORE
SVO. ADVERTENS. PERICVLO
CIVITAS. THEANENSIS.
AVREAM. TANTO. DEBITAM. HEROI. SVSPENDIT
SYMBOLVM. IMMORTALIS. REGNI. SIMVL. ET
VOTVM.

*CVM. APPARVERIT. PRINCEPS. PASTORVM*
*PERCIPIETIS. IMMARCESCIBILEM. GLORIÆ. CORONAM*
*I. Petri. V.*

Sub II. Super caput eius.

SAPIENTISS. PRINCIPI
RAMIRO-PHILIPPO. GVSMANO
CVIVS. PRAECELSA. MENS
CVM. PLVRIBVS. LATE. TERRIS. IMPERIO. REGENDIS
TVM. ORBE. HISPANICO. AD. VTRVMQVE. SOLEM
CONSILIIS. SVSTINENDO. TENTATA
IMMENSAE. MOLI. PAREM
ATLANTEM. ARGVIT. ET. ALCIDEN
CIVITAS. THEANENSIS
TANTI. CAPITIS. VERTICEM. SIDERA. FERIENTEM
SVSPICIENS
OBVIVM. INIBI. CORONAMENTVM. VOVET
CONGRVO. SERTO. DEDICANDO.

CE-

*CECIDIT. CORONA. CAPITIS. NOSTRI*

*Ierem. Thren. V.*

Sub III. Expressa. signo. sanctitatis.

FELICISS. PRINCIPI
RAMIRO-PHILIPPO. GVSMANO
CVI. PRAETIOSAE. MORTIS. ARRHAM. DEDERAT
RELIGIO. IN. DIVAM. VIRGINEM. SINE. LABE. CONCEPTAM
PRETIVM. PERSOLVIT. OBITVS
IN. IPSA. EIVS. CELEBRITATE. SVCCEDENS
EGRESSV. ILLIVS. EX. HVMANIS
EODEM. ET. AVGVSTAE. VIRGINIS. INGRESSV.
HVIVS. HOROSCOPO. ILLIVS. FATVM. MODERANTE
ALIORVM. SVPREMVS. DIES. ATER. NOTETVR
HVIVS. DIEM. QVANTVMVIS. ATRATA
CIVITAS. THEANENSIS
CANDIDIORE. HAVD. POTERIT. LAPILLO
NOTARE.

*QVI. ELVCIDANT. ME*
*VITAM. AETERNAM. HABEBVNT.*
*Eccli. IV.*

Sub IV. Gloria. honoris

GLORIOSISS. PRINCIPI
RAMIRO-PHILIPPO. GVSMANO
AD. HONORVM. AMPLISSIMOS. NATO
QVOS. ITA. GLORIOSE. GESSIT. VT

HO-

HONORIFICENTIORES. HONORES. IPSOS. REDDIDERIT
INTER. LVMINA, PROCERVM. SOL. ORBIS. CATHOLICI
SVOS. AD. VTRVMQVE. CARDINEM. DIFFVDIT. RADIOS
ARAGONENSIS. REGNI. MAGNVS. AB. AERARIO
INDIARVM. MAGNVS. CANCELLARIVS
FLORENTISSIMI. NEAPOLITANI. REGNI
HONORE. PROREX. AMORE. REX
REGIS. REGVM. HISPANI. MONARCHAE
AMOREM. DEMERITVS. SINGVLAREM
INTIMVS. INDVSII. MINISTRATOR
HIS. ET. PLVRIBVS. CORONATVS. FVLGORIBVS
OBTENTV. FELICI. LVNAE. AVGVSTIORIS. DEFECTVM. PATITVR
NON. SIBI. SED. NOBIS
CIVITAS. THEANENSIS
FATVM. EI. BONVM. GRATVLANS. SIBI. TRISTE. DEPLORANS
LVCEM. IN. EMPYREO. PERPETVAM
COMPRECATVR.

*IN. TEMPORE. VESPERI. ERIT. LVX.*
*Zachar. XIV.*

Sub V. Opus Fortitudinis.

FORTISS. PRINCIPI
RAMIRO-PHILIPPO. GVSMANO
CVIVS. VIRTVTEM
AD. OMNIA. FORTVNAE. TENTAMENTA
FEROCIENTIS. LENOCINANTIS
INVICTAM
VNA. POTVIT. MAGNANIMITAS. SVPERARE
FERRO. ARMATAM. DEXTERAM. IN. HOSTES. VIBRANTIS
AVRO. CONFERTAM. IN. SVBDITOS. PROTENDENTIS
CORDA. PVLCHRIVS. TRIVMPHANTIS. QVAM. CAPITA
CIVITAS. THEANENSIS
COELESTE. CAPITOLIVM. FESTINAT. SOLEMNI. HOSTIA
PATEFACERE.

*CORONAVIT. EVM. IN. VASIS*
*VIRTVTIS*
*Eccli. XLV.*

Sub VI. Desideria. oculorum. ornata.

SPECTATISS. PRINCIPI
RAMIRO-PHILIPPO. GVSMANO
CVI. FORMANDO. INGENIOSIOR. ZEVXI. NATVRA
SPARSAS. IN. SVMMIS. PROCERIBVS. DOTES. COLLEGIT
FLOREM. NOBILITATIS. IN. EVROPA. HISPANIAS
IN. HISPANIIS. GVSMANOS
IN. GVSMANIS. DOMINATVM. DEFERENS
DIADEMATA. PLVRA. ADSCISCENS
SCEPTRA. SVBMITTENS. REGNA. CREDENS
REGIAS. GAZAS. IN. FIDEM
ET. GAZIS. NOBILIVS. IPSVM. CORPVS. MONARCHAE
INDVENDVM. TRADENS
CIVITAS. THEANENSIS
OCVLOS. IN. CONTEMPLATIONE. TANTI. HEROIS. OLIM. BEATOS
IN. ORBITATE. PRAESENTI. ATTONITOS
IN. VRNAS. DEDICAT. HOC. EIVS. IN. TVMVLO. LACRYMIS
EXVNDANTES.

*DEDVC. QVASI. TORRENTEM. LACRYMAS. ET*
*NON. TACEAT. PVPILLA. OCVLI. TVI*
*Ierem. Thren. II.*

*Coro-*

*Coronæ verò spatium circumductum, ac radijs eius subiectum inscribebatur his literis cubitalibus, videlicet*

RAMIRVS. VIRTVTVM. ET. HONORVM
RADIIS. MIRVS. PARCARVM. EXTINCTVS.
INVIDIA. HIC. LVGETVR.

*Porrò lectus mortualis vndique inscriptionibus ornatus.*

*In fronte.*

NVLLIVS. TAM. MVLTIS. EX. TERRIS
RAMIRI-PHILIPPI. SCEPTRO. SVBIECTIS
OBSEQVIVM. MAIVS. NOSTRO. IN. DEFVNCTVM
CIVES. THEANENSES
NIHIL. IN. PRAECELSAS. METIMNAE. TVRRES
TVRRICVLIS. NOSTRIS. OFFICIOSIVS
EN. VT. SVAM. IN. CAELVM. EXPEDIVNT
AQVILAM
PRODROMAM. MAGNAE. ANIMAE
DIVORVM. COETVM. MOX
PETENTIS.

*Fitque allusio ad insigne Vrbis Theani, nimirum Turres binas ex Arce surgentes, quibus insidet Aquila dispessis hinc inde cruribus: hic tamen supra Pyræ fastigium cernebantur quidem depictæ in clypeo, per binos Aligeros oblato, Turres ipsæ: sed Aquila inde auulsa, quasi Cælum petens, tenebat rostro Crucem, vnguibus schedã inscriptam:*

MELIOR. CONSECRATIO

*quandoquidem Pyra vndique collucens facibus, antiquæ apud Ethnicos Apotheosis speciem referebat, vbi ardente rogo cum cadauere, dimissa è summitate Aquila credebatur in cœtum Deorum efferre Defuncti Herois animam: Atque eum ritum latini Consecrationem dicebant, Nos Melioris damus adiunctum; illorum quippe quàm impia religio, tàm ridicula consecratio: Ac nostra Christianorum è Cruce Christi, hoc est sacrificijs, mysterijsque Euangelicis pendet, quibus*

*Animæ piorum, expiatæ labibus ex mortalitate contractis, in cœtum Diuorum rite admittuntur:*

*In dextero latere.*

CONCEPTA. SINE. LABE
TERRIS. EVOCAT
CONCIPIENS. SINE. SEMINE
COELO. INVEHIT
M A R I A
R A M I R V M
FELICIVS. IN. HAC. PARTE
MATRITO. THEANVM
IBI. SIQVIDEM. PHOENICIS. ROGVS
HIC. NIDVS.

*Nam dies Mariæ conceptæ (VI. Id. Decemb.) dies obitus Ramiri fuit. Eripiturque Anima (vt piè credimus) ex igne purgatorio, vt Cælum petat, celebratis sacrificijs in hac Aede Diuæ Mariæ, quæ Angelo nuntio fæta extitit Deo sine virili complexu.*

*In læuo latere.*

A G N O S C E
CLEMENTISSIMA. DEIPARA
RAMIRVM. DE. GVSMANO
FLOREM. HORTI. TVI
IN. QVO. ROSARIVM. SEVIT
INCLYTVS. TVVS. ALIQVANDO. CLIENS
DIVVS. DOMINICVS
ET. QVEM. PLACVIT
TVISMET. LEGERE. MANIBVS
EX. AREOLA. MORTALITATIS
NE. RENVE. IN. CAELVM. TRANSFERRE
BEATISSIMIS. TVIS
AVT. COMIS. LAMBENDIS
AVT. PLANTIS. SVAVIANDIS

Et

*Et hic innuitur dies postremus Ramiri, eiusque illustrissimus sanguis Diuo Dominico Patriarcha consecratus.*

*In tergo.*

TACEAT. HIC. IACTABVNDA. ANTIQVITAS
TRISMEGISTOS. SVOS
ET. HVIVS. NOMINIS. GRAECIAM. INOPEM. FATEATVR
NOSTRA. RAMIRVM. AETATE. PROFERENTE
TETRAMEGISTVM
QVADRVPLICI. SPECTATVM. IN. GRADV
MAGNATVM. HISPANORVM
OSTILIANENSI. SABIONETANO
METIMNENSI. SANLVCARENSI
IO. TRIVMPHE. IO
AT. HEM. QVID. DESIPIS. HIC. QVID. INSANIS
CIVITAS. THEANENSIS?
QVANTVS. GLORIANTE. TE. RAMIRVS. FVIT
TANTVM. LVGEAS. NVNC. OPORTET
QVIA. FVIT.

*Pyram ambiens Theatrum atrato pariete distinguebatur quadruplici disticho, videlicet*

I.

*CONCIPITVR. SINE. LABE. DEVM. SINE. SEMINE. DIVA*
*CONCIPIT. ISTA. TIBI. EST. FACTA. RAMIRE. PARENS.*

II.

*A. LABE. IMMVNIS. VIRGO. CONCEPTA. RAMIRVM*
*LABIBVS. EX. ORCO. LIBERVM. AD. ASTRA. VOCAT.*

LAN-

III.

LANGVIDA . AB . OCCIDVO . NVPER . ROSA . SOLE . GEMEBAS
NVNC . VIGOR . EOO . SOLE . PERENNIS . ERIT .

IV.

GENS . GVSMANA . TVVM . EXTINCTVM . NE . PLANGITO . SOLEM
MATRITI . OCCIDERAT . SED . * SIDICINI . ORITVR .

* *Theanum olim Sidicinum.*

*Reliquum Cellæ tractum distinguebant vnus & viginti tituli ditionum, quibus Princeps defunctus illustrabatur, deni hinc & inde, distributi; vnusque supra ianuam in anteriori prospectu. Hæc erat facies in singulis. Fama volitabunda tubam inflans, ac suspensum in leua tenens numisma, partes ambas diuisas ostentans: hinc aduersam, vbi incisus titulus Honoris, v. g. Principatus, Ducatus, &c. supràque titulum Diadema, seu corona Honoris eius insigne. Inde auersam, in qua cusum Symbolum Virtutis in subiecto Elogio significandæ. Sub ipso Numismate stans Sceletus in basi, coronatus lauro, dextera stringens falcem, sinistra schedam explicans, in qua Defuncti Elogium ex virtute in Numismate indicata. Eius porrò basi incisum è sacris literis lemma. Id in viginti titulis perpetuum, præterquàm in Theanensi ob situm ianua angustatum. Nam hic sola Fama in alis, pendulas ex inflata tuba facies Numismatis offert, è manu Leua Clypeum cum Elogio inciso, & alis circumducto volumine, in quo lemma sacrum.*

*Primus itaque Titulus hæc habebat. In facie numismatis aduersa, sub Diademate incisum legebatur.* PRINCIPATVS OSTILIANI. *In auersa* Effigies Deiparæ, lunam calcantis, *circumscriptam* RELIGIO. IN. DEIPARAM. ILLIBATAM. *In Scheda verò legebatur.*

IN. PRINCIPATV. OSTILIANI
RAMIRVS
TANTVM. RELIGIONIS. PRAE. SE. TVLIT
IN. VIRGINEM. SINE. LABE. CONCEPTAM
QVANTVM. CONCEPIT. SPIRITVVM. HOSTILIVM
IN. LABES. ANIMI.

*In Basi*, *lemma accommodatum*: Egredimini, & videte, filiæ Sion Ramirum in Diademate, quo coronabit eum (speramus) Maria mater sua. *Cant. iij.*

*Secundus Titulus*, *In Numismate*; *hinc*: DVCATVS. METIMNAE. TVRRIVM. *Inde* Turris depicta, *inscripta è Psalmo* 60. A. FACIE. INIMICI. *In Scheda*:

IN. ACCEPTIS. METIMNAE. TVRRIBVS
RAMIRVS
QVAM. ANTE. CLAVDEBAT. PECTORE
CONSPECTAM. MVNDO. FECIT
FORTITVDINEM.

*In Basi*: Coronabitur, quia legitimè certauit. 2. *Timoth*. 2.

*Tertius Titulus*, *in Numismate*; *hinc*: DVCATVS. SABIONETAE. *Inde* Manus Virgam prætendens instar sceptri, *inscript*. DIRECTIONIS. ET. REGNI. *Psal*. 44.
*In Scheda*:

IN. DVCATV. SABIONETAE. MODERANDO
RAMIRVM
IVSTITIA. DE. CAELO. SERENA. PROSPEXIT. FRONTE
QVOD. ILLAM. IPSE. IRRETORTO. OCVLO
RESPEXIT.

*In*

*In Basi*: Reposita erat mihi corona Iustitiæ, quam reddidit mihi Dominus in hac die. 2. *Timoth.* 4.

*Quartus Titulus, in Numismate; hinc*: DVCATVS MONDRACONI. *Inde* Draco in Montis vertice, *Inscript.* DORMIO. ET. COR. MEVM. VIGILAT. *Cant.* 5. *In Scheda.*

*MONDRACONI. DVCATV. POTITVS*
*RAMIRVS*
*IN. PRAECONIVM. NACTVS. EST. SYMBOLVM. EIVS*
*CVIVS. ARGVMENTA. IN. IMPERIO*
*COMPLVRA. DEDERAT*
*VIGILANTIAE.*

*In Basi*: Audite, Reges, & intelligite: Data est vobis potestas ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. *Sap.* 6.

*Quintus Titulus. In Numismate; hinc*: DVCATVS. TRAIECTI. *Inde* Cranium Sceleti in mensa. *Inscript.* Ex morte vita. *In Scheda.*

*TRAIECTVM*
*RAMIRVS*
*LYCEVM. FECIT*
*PHILOSOPHIAE. NVMEROS. COLLIGENS*
*IN. TRAIECTV. SECVRO. AD. SVPEROS*
*PER. SACRA. MYSTERIA*
*DVX. LOCI. OPTIMVS*
*DVCTVRVS. OPTIMORVM. FAMILIAM.*

*In Basi.* Iuit in Galgala, & innouauit ibi Regnum. 1. *Reg.* 11.

Sextus

*Sextus Titulus. In Numismate; Hinc:* MARCHIONATVS TORALI. *Inde* Olea arbor. *Inscript.* Speraui in misericordia Dei. *Psal.* 51. *In Scheda.*

*AETERNAE. SPEM. FELICITATIS*
*IN. DEI. BONITATE. DEFIGENS*
*RAMIRVS*
*MARCHIO. TORALI*
*CANDIDATO. CVIQVE. TORALE. PROSPEXIT*
*SVB. QVO*
*SOMNVM. MORTIS. SECVRVS*
*CAPESSAT.*

*In Basi.* Coronauit te Dominus hodie in misericordia. *Psal.* 102.

---

*Septimus Titulus; In Numismate; Hinc:* MARCHIONATVS. MONASTERII. *Inde* Columba altum petens. *Inscript.* Pennæ columbæ deargentatæ. *Psal.* 67. *In Scheda.*

*IN. MONASTERII. MARCHIONATV*
*RAMIRVS*
*HOMINIS. IMAGINEM. RELIGIOSI. PROFANA*
*IN. TABVLA. PROPOSVIT*
*ZEVXIDE. FELICIOR. ET. PARRHASIO*
*ITA. AD. VIVVM. VT*
*SVPEROS. IN. AMOREM*
*MORTALES. IN. ERROREM*
*INNOCENTER. PERTRAXERIT.*

*In Basi.* Vita eius, quia in probatione fuit, coronatur. *Tob.* 3.

---

*Octauus Titulus*; *In Numismate*, *hinc*: MARCHIONATVS. PIEDENAE. *Inde* Ignis in Ara accensus. *Inscript.* Nefas extingui. *In Scheda.*

*PIEDENAE. MARCHIONATVM*
*R A M I R V S*
*THEATRVM. HABVIT. IN. QVO*
*PIETATEM. IN. DEVM. SINGVLAREM*
*OMNIVM. SPECTANDAM. OCVLIS*
*EXTOLLENDAM. ENCOMIIS*
*AEMVLANDAM. STVDIIS*
*EXHIBERET.*

*In basi.* Quia ambulauit dignè Deo, ideo vocauit eum in suum Regnum, & Gloriam. 2.*Thessal.* 2.

*Nonus Titulus*. *In Numismate*, *hinc* MARCHIONATVS. MAYRENAE. *Inde* Sol, & Luna. *Inscript.* Nullæ tenebræ. *In Scheda.*

*IN. MARCHIONATV. MAYRENAE*
*R A M I R V S.*
*PRVDENTIAE. CIVILIS. NVMEROS*
*PVBLICAM. AD. TRANQVILLITATEM. RETVLIT*
*REM. POLITICAM. ECCLESIASTICAE. CONCILIAVIT*
*TERRAS. CVM. CAELO. CONIVGAVIT*
*HAC. VOCVM. CONCORDIA. DISCORDE*
*MIRVM. QVALEM. REDDIDIT*
*TERRIS. CAELO*
*CONCENTVM.*

*In Basi.* Dedit illi gloriam Regni, qualem nullus habuit ante eum. 1.*Paralip.* 29.

*Decimus Titulus. In Numismate, hinc* COMITATVS. FVNDORVM. *Inde* Accipiter volatu *conuersus ad terram. Inscript.* Cælum identidem, ac Terram. *In Scheda.*

*FVNDORVM. COMES*
*RAMIRVS*
*HVMANAE. FVNDAMENTVM. FELICITATIS*
*NOSCENS. IN. SE. NOSCENDO.*
*DELPHICVM. IMPLEVIT. ORACVLVM*
*VERTICE. SIDERA. FERIENS*
*VESTIGIO. TERRAS. TENENS*
*IN. IMPOTENTIA. FORTVNAE. MODESTVS*
*IN. EXCELSITATE. ANIMI. TEMPERATVS.*

*In Basi.* Humiliamini, Ciues quoniam descendit de capite vestro corona gloriæ nostræ. *Ierem.* 13.

---

*Vndecimus Titulus. In Numismate, Hinc.* COMITATVS. PORMAE. *Inde* lilium spinis septum. *Inscript.* Tutissimum munimentum. *In Scheda.*

*IN. PORMAE. COMITATV.*
*RAMIRVS*
*PALAESTRAM. ADAPERVIT*
*IN. QVA*
*LVCTAMINE. INTER. FORTES. ATHLETAS*
*COMMISSO*
*LIBIDINEM. REGALIBVS. ADVLTAM. DELICIIS*
*RATIO. INCONCVSSA*
*PROSTRAVIT.*

*In Basi.* Casta generatio cum claritate in perpetuum coronata triumphat. *Sap.* 4.

---

*Duodecimus Titulus.* *In Numismate*, *Hinc* COMITATVS. ALIANI. *Inde* Pyramis. *Inscript.* Eludit turbines. *In Scheda.*

*ALIANI. COMES*
*R A M N R V S*
*COMITEM. VIRTVTIS. SVAE. FORTVNAM*
*VT. ALIA. A. SE. SE. NON. ESSET*
*E D O C V I T*
*CONSTANS. IPSE. MENTE*
*ILLAM. DEDOCVIT. INCONSTANTIAM*
*FOELICITATEM. CAPTANS*
*ROTAE. VOLVBILITATI. SISTENDAE*
*INVENIT. CLAVVM.*

*In Basi.* Regnum immobile suscepit, quoniam habuit gratiam, per quam seruiuit placens Deo. *Heb.* 12.

*Tertiusdecimus Titulus.* *In Numismate*; *Hinc*: COMITATVS. COLLIS. *Inde* Ara incensi thuris, cuius fumus in altum ascendens. *Inscript.* Dirigatur in conspectu tuo Domine. *Psal.* 140. *In Scheda.*

*F V I T*
*COMITATVS. COLLIS*
*DESPERANDAE. HVMANAE. AMPLITVDINIS*
*A R G V M E N T V M*
*ANHELANDAE. SALVBRIORIS. AVRAE*
*I N C I T A M E N T V M*
*PIAE. ANIMAE. BEANDAE*
*PRAELVDIVM*
*DONEC. VENIRET. DESIDERIVM. COLLIVM*
*A E T E R N O R V M*

*In Basi.* Desiderium eius attulit ei, nec est fraudatus à desiderio suo. *Psal.* 77.

*Quartusdecimus Titulus*. *In Numismate*, *Hinc*: COMITATVS. SATRIANI. *Inde* Imago Christi seruatoris; *Inscript*. Quæ sunt Dei, Deo. *Matth*. 22.

*IN. COMITATV. SATRIANI*
*RAMIRVS*
*SIGNVM. PRAEFIXIT. VOTORVM. SVORVM*
*QVO. SIMVL. INTENDANT. MAGNANIMI. PRINCIPES*
*GERMANAM. CHRISTIANI. HOMINIS*
*APPELLATIONEM*

*In Basi*. Esto Fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. *Apoc*. 11.

*Quintusdecimus Titulus*. *In Numismate*, *hinc*: COMITATVS BALDORIS. *Inde* Thronus Salomonis Regis. *Inscript*. Non est factum tale opus in vniuersis terris. 3. *Reg*. 10. *In Scheda*.

*IN. BALDORIS. COMITATV*
*RAMIRVS*
*BALDVS. COELESTIS*
*CATHEDRAM. STATVIT*
*IN. QVA PRAECEPTARET. PRINCIPIBVS*
*SAPIENTIAM*
*NON. HVIVS. SECVLI. FATVAM*
*SED. AETERNITATIS. CAVTAM*
*QVA. VNA. LAVREATIS. PATESCIT*
*EMPYREVM*

*In Basi*. Sapientia in vinculis mortalitatis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum Regni. *Sap*. 10.

*Sextusdecimus Titulus. In Numismate, hinc:* COMITATVS CARINVLAE. *Inde* Pellicanus sibi pectus feriens & sanguinem eliciens pullis alendis. *Inscript.* Non quærit, quæ sua sunt. 1. *Cor.* 13. *In Scheda.*

*COMES. CARINVLAE*
*RAMIRVS*
*COMEM. PRAEBVIT. SE. SVBDITIS*
*CARVM. OMNIBVS*
*REGINA. VIRTVTVM. CARITAS*
*REGINA. CORDIVM*
*DEO. DIGNA. IDCIRCO. ET. PRINCIPE*
*CONFLAVIT PRINCIPI NOSTRO. CORONAM*
*CARINVLA*
*ILLVMINAVIT. CARITAS*

*In Basi.* Factus sum Israeli pater, ait Dominus. Ier. XXXI. Et scient distantiam seruitutis meæ, & seruitutis Regni terrarum. II. *Paral.* 12.

*Decimus septimus Titulus. In Numismate; Hinc:* DOMINIVM. VILLARVM. ET MONTANORVM BONARI. *Inde* Lilium minutos supra flores elatum *Inscript.* Specie, & proceritate Rex. *In Scheda.*

*IN. VILLIS. ET. MONTANIS. BONARI*
*RAMIRVS*
*DOMINANS*
*AMOENITATEM. GENII. EXCELSITATEM. SPIRITVVM*
*QVAM. PRINCIPES. AFFECTARENT*
*EXEMPLO. DOCVIT. SVO*
*PROCVL. HEVS. CORONATAE. FRONTES. PROCVL*
*VESTRO. A. VVLTV. TORVITAS*
*A. CORDE. PVSILLITAS.*

*In Basi.* Homo nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi Regnum. *Luc.* 19

*Decimus octauus Titulus.* *In Numismate, Hinc.* DOMINIVM. VALLIS. CVRVENI. *Inde* Camelus genibus anterioribus flexis, onus admittens. *Inscript.* Venerabunda subiectio. *In Scheda.*

*VALLIS. CVRVENAE. DOMINVS*
*RAMIRVS*
*TIMORIS. OBSEQVIVM. PRAESTANDVM. ERGA. NVMEN*
*INDICAVIT*
*SVBLIMIS. PRINCEPS. TITVLIS*
*ABIECTVM. SE. FASSVS*
*CLARVS. HONORIBVS. OBSCVRVM*
*IN. OCVLIS. VERENDAE. SVPERIS. MAIESTATIS*
*DENIQVE*
*ALTITVDINE. CONSVRGENS. OLYMPVS.*
*N. EIVS. PRAESENTIA. CVRVATVR.*
*IN. VALLEM*

*In Basi.* Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini, & à gloria Maiestatis eius. *Isa.* 2.

*Decimus nonus Titulus.* *In Numismate, Hinc.* DOMINIVM DOMVS. GVSMANAE. *Inde* Magnes in buxo septentrionem intendens. *Inscript.* Os homini sublime dedit cælumq; videre iussit, & excelsos ad sidera tollere vultus. *In Scheda.*

*DIVVS. DOMINICVS. PATRIARCHA*
*DOMO. GVSMANA*
*RAMIRVM*
*SVI. SVCCESSOREM. AGNOSCIT. SANGVINIS*
*ET. GLORIAE. HEREDEM. EX. ASSE*
*QVIA. DOMINVM. DOMVS*
*FACESSITE. TITVLI. RELIQVI. MINORA. LVMINA*
*OMNIA. PHOEBVS. HIC. OCCVLIT*
*VIRTVTIS. GLORIA. IN. RAMIRO*
*NON. ADVENTITIA. SED. NATIVA*
*NON. QVAESITITIA. SED. INGENITA*
*EIVS. IN. REGNVM*
*NIHIL. IVRIS. HABET. FORTVNA*
*QVOD. ET. A. NATVRA. TRANSMISSVM*
*ET. FOEDERATVM. CVM. EMPYREO*
*VBI. DOMINICVS. REGNAT*

*In Basi*: Constituit eum Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ. *Psal.* 104.

---

*Vigesimus Titulus. In Numismate. Hinc.* COMITATVS. AZZARCOLIARII. *Inde* Piscina probatica, Aligero cęlesti supernè apparente. *Inscript.* Expectant aquæ motum. *Io.* 5. *In Scheda.*

*QVOS. STEMMATE*
*NIGROS. PRAEFEREBAS. HERMELINOS*
*RAMIRE*
*COMES. AZZARCOLIARII*
*CANDIDOS. REDDERE. MALVISTI*
*VITAE. INSTITVTO*
*MORVM. CANDOREM. IMPOLLVTAE. MENTIS. CENSVRA*
*SI QVANDO. VEL. LEVI. ARGVERET. LABE. PALLENTEM*
*CHRISTIANIS. EXPIATIONIBVS. RESTITVERE*
*PROPERABAS*
*ECQVIS. DEIPARA. PATRONA. EXEMPTA*
*NON. VNQVAM. MALVERIT. FOEDARI. QVAM. MORI?*
*IN. ANGELIS. SVIS*
*DEVS. SI. REPERIT. PRAVITATEM*
*NEQVIDQVAM. IN. HOMINIBVS. ILLIBATAM. QVIS. EXIGAT*
*INNOCENTIAM*

*In Basi*. Mundus Ego nunc sum, & Regnum meum apud Dominum vsque in sempiternum. 11. *Reg. 3.*

*Vigesimus primus Titulus. In Numismate, Hinc*: DOMINIVM THEANI. *Inde* Camelus gradiens onustus. *Inscript.* Maximi vsus, minimi alimenti. *In Clypeo.*

*THEANVM*
*RAMIRE*
*OCELLVM. TVVM*
*BEASTI. VIVENS, ORBASTI. MORIENS*
*VIVES. TV. TAMEN. VITA. CIVIVM*
*QVI. TE. ABSTINENTISSIMO. SE. IACTANT. VIVERE*
*FORTVNIS. INTEGRIS*
*CORDIBVS. DVMTAXAT. TE. DESIDERATO*
*DIMINVTIS*

*In Volumine*. Recessit Dominus noster, vt accipiat Regnum decòris, & * Diadema speciei de manu Dei. *Sap. 5.*

* *Notæ*

*Non alienum putamus ( quando iustis decedentibus promittitur à Deo Regnum, & Diadema ) subijcere hoc loco rationem inuenti nostri in molienda pyra mortuali ad formam potiùs Coronæ seu diadematis: vbi celebrandus venit obitus Principis pijssimi; tam multis præterea Coronis ditiònum illustrissimi. præterquamquod iam inde ab Ethnicis antiquis* Coronæ ( *inquit Plinius lib.21.Cap.3.*) Deorum *honos* erant, & larium publicorum, priuatorumque, ac Sepulcrorum, & Manium. *Nec solum Corona Sacra erat Soli, & Dijs maioribus Gentium ( vt refert Thomas Dempsterus de Colosso Solis, & Radiata corona, in Corp. Antiquit. Rom. lib.* 1.) *verum & heroibus in publicis spectaculis, vt de Cæsare dictatore L. Florus lib.* 4. *Cap.* 2. *Et in priuatis ædibus, vt de Stilicone canit Claudianus lib.* 1

*His ita lustratis, patebat egressui Ianua; sed in ipso egressu occurrebant hinc inde atrata Antepagmenta picturam ostentantia. Hinc quidem surgebat Pyramis in speciem AEgyptiacarum, usum sepulchri praebentium Regibus, cum marmore ita inscripto.*

SISTE. QVI. RECEDIS
HOCCE. TE. PARVMPER. MANET. MAVSOLOEVM
AMORIS. OPVS. SAPIENTIAE. NON. ARTEMISIAE
MAGNVM. HIC
RAMIRVM
SI. FORTE. QVAERIS
SOLOS. HABEBIS. CINERES
PARTEM. NOBILIOREM. ASTRA. VENDICARVNT.
PHILOSOPHABERE. HINC. LICEBIT
SPLENDOREM. QVANTVMCVMQVE. FORTVNAE
IN. FAVILLAS. ALIQVANDO. DESINERE
VIRTVTIS. SPECIEM. NATAM. EMPYREO
IN SPLENDORIBVS. SANCTORVM. AETERNIS
EXPLICARI

*Inde effigies Sceleti stabat in pallio breui, Philosophum repraesentans, codicibus, & instrumentis Mathematicis in laeua suspensis, in dextera Clypeo inscripto ex Seneca, Videlicet.*
DIC EXPERRECTO: POTES NON DORMIRE AMPLIVS:
DIC DORMITVRO: POTES NON EXPERGISCI AMPLIVS.
*quo quidem lemmate summa continetur Philosophiae, & satis magnum pretium temporis in hac Gusmana exequiali pompa contemplanda insumpti.*

*Romæ labente anno 1669. in Academia Infœcundorum, Thoma Rospilioso Clementis IX. Pont. Max. Fratris filio, ac Principe suo viduata, Musarum luctus Elogijs est explicatus, assignata nobis Calliope, cuius Imagini indidimus subscriptam Epigrapham.*

Heroe tuo iam conclamato conticesce
C A L L I O P E
Elato efferri desine
Quin si sapis
Aspera vocem. Turba numeros
Solue cum coma leges carminis
Coge in Elegum Epicum
Et dic Sororibus
Eheu noster Thomas Rospiliosus
F V I T
Noster Eheu
Apollo Fuit
Parnassus Fuit

*Vincentio Velluto amico coniunctissimo salutem dicentes in Calendis Ianuarijs votum diuturnæ vitæ esse maluimus Epitaphium quasi seculum transgresso sibi ponendum: vt habes sup. pag. 156. At is votum nostrum fato frustrante, exegit subscriptum Epitaphium, quod & marmori est incisum. Videlicet.*

D. O. M.
VINCENTIVS. VELLVTVS. PATRITIVS. FLORENTINVS.
In. familia. Baro. Galluccij Primus
Cursu. mortalitatis Octogenarius
Claritate, natalium Octingentenarius
Fama. virtutum Millenarius, & vltrà
Sacerdotio. in. senio Vix. bimestris
In. renouatione. futura iuuentæ. AEternus
Hic. condi. iussit. Prid. Id. oct.
M. D. C. L. X. I. X.
Franciscus. Vellutus. Baro. Galluccij
Filius. inconsolabilis. Tumulum. pos
Octauius Boldonius. Mediol. Episc. Theanen
Amicus. Amico. contra. votum. inscrip.

*Suessæ in AEde Cathedrali.*

D. O. M.
Vlyssis. Gherardini. A. rosa. Senensis
Episcopi. Suessani
Errores. Viator. ne. inquire
Pressit. certo. cursu. vestigia. Pontificum
Sanctissimorum
Eruditionem. Vigilantiam. Charitatem
Fortitudinem. Munificentiam
Concinunt. cum. fama. immortali. oculata. eius. opera
Basilicæ. Cathedralis. instauratio
Ædium. Episcopalium. amplificatio
Errasse. tamen. dices: citra. errorem
Vlysse. Homerico
Feliciùs. ac. diuturniùs
Infinitis. pro. Ecclesia. exantlatis. laboribus
Errore. mortalitatis. emenso
deciès. decennali, & ampliùs
Sedit. Ann. XLV. Men. VI. DIES. VIII.
Decessit. centenario. maior. annis II.

Petrus. Iosephus. Erasmus. Fratres. Lanzamanij
Canonici. Suessani
Patria. Castellono. ad. Caietam
Intimi. familiares. Titulis. obstricti. plurimis
Monum. Poss
M. D. C. L. X. X.

*Theani, in summo Templo, subter suggestum concionatorium*

CIVIS. HOSPES

*Benedic. huic. cineri*

Ioannem - Nicolaum. Boldonium. Mediolanensem

E. Clericis. Regul. S. Pauli. Barnabitis

Octauij. Boldonij. Episc. Theanensis

Fratrem. germanũ. Collegã. & nouissimè. Contubernalem

Concionatorem. consummatum. Poetam. eximium

Quòd

Haustum. iam. inde. à. puero. Euangelium

Publicis. Priuatis. collocutionibus

Scriptis. soluta. stricta. oratione

Perpetuùm

Vèl. in. extremo. colluctantis. Animæ. spiritu

Irrequietus. eructauerit

Vt. &. requiescens. eructet

Theanensium. pietas. hìc. humauit

Decessit. IV. Id. Ian. MDCLXX

Annum. ingressus. LXXV.

In. sacro. ipso. ordine. Clericali

Sexagenarius.

---

*DEVM*

*SEQVERE.* *IMITARE.* *VENERARE.*

*AMORE.* *MORE.* *ORE.*

---

*Roma*

*Romæ in S. Sabinæ aliter demum posita monumenta fratribus germanis vt habuisti su-*

TRINO VNI SACR
IOSEPHO. CIANTI. ROM. EPISC. MARSICENSI
Qui
gentilium ſplendorem collatis de ſuo fulgoribus
cumulauit
IN SACRO ORD. DOMINICANOR.
Publicus Philoſophiæ ac Theologiæ interpres
Orator Chriſtianorum dogmatum Romæ
ad Hebræos. Quos
immortalibus inuento ſingulari ſcriptis *
impugnauit
IN EPISCOPATV
Aedem Cathedralem funditùs amplificauit
Iuriſdictionem in Saponarios
admirabiliore conſtantia neſcias an prudentia
in priſtinum reſtituit
IN AVLA
Philippi IV. Regis Catholici ſemel & iterum
res grauiſſimas ac difficillimas
facilitate pari ac felicitate
pertractauit
Deceſſit An. MDCLXIX. Annos natus L....

*HABVIT*
*LABORES VIVENS QVIETEM MORIENS,*
*LEGAVIT*
*LABORES FAMAE IRREQVIETAE IMMORTALI*

LAVRENTIVS CIAN-
DESIDERA-
M D C

* *Edidit Hebraicè Diuum Thomam contra Gentes, quo & Hebræorum confutantur errores quammulti. Eodem ſtudio Opuſcula de Trinitate, & Incarnatione vulgauit miræ eruditionis aduerſus Hebraicam perfidiam.*

VNI

*Episcopis de Ciantis, ac multò ante ijs volentibus scripseramus, prà, pag. 144.*

VNI TRINO SACR
IGNATIO.CIANTI.ROM.EPISC. S. ANGELI,
ET BISACCIAR.
Iosephi Episc. Marsicen. Fr. germano
In ordine Dominicano Collegæ
In arena pietatis Commilitoni
Cuius extat Ceremoniale Ordinis Prædicator.
reliquis verò eius scriptis doctissimis
sæuities dolorum articularium
quibuscum perpetuò conflixit
lucem inuidit
sed compensauit expressis patientiæ inuictæ exemplis
cruciatus quidem insigens: At
cruciati vocem omnino nullam extorquens
Prudentiæ quoque incomparabili reliquit campum
in Præfectura diutina Prouinciæ Neapolit.
Post in Episcopatu summa cum tranquillitate
scopulis arte mira declinatis
in pelago quæstionibus Iurisdictionalibus
æstuosissimo
Decessit annum agens LXVIII. MDCLXVII.

*HACTENVS O
CVRAE Q.
CATENATIQ.
LABORES.*

TES GERMANIS FRATRIB.
TISS. POS.
L X X.

Appen-

## Appendix ad classem Memorialium

*Theani ad Diuæ Mariæ de Foris*

COENOBIVM. HOC. SANCTIMONIALIVM
E. FLORE. NOBILIVM. THEANENSIVM. COLLECTVM
A. DIVA. MARIA. DE. FORIS. NVNCVPATVM
SVOS. AGNOSCIT.
EX. PVBLICIS. TABVLIS. CONDITORES
LANDONEM. ET. ATTENVLPHVM
THEANI. COMITES
ATTENVLPHI. ET. INDELGARDAE. COMITVM. FF.
ANNO. SERVATI. ORBIS
DCCCCLXXXVI
OCTAVIVS. BOLDONIVS. MEDIOL. EPISC. THEANEN
MEMORIALEM. HVNC. LAPIDEM
VENERATIONI. ANTIQVITATIS
AEMVLATIONI. POSTERITATIS
GLORIAE. BENEFICORVM. PRINCIPVM
IMMORTALI
ERIGI IVSSIT
ANNO. MDCLXX.
PORTIA. MARTINA. DE. CARLES
ANTISTITA

EPI-

# EPIGRAPHAE ENCOMIASTICAE.

*Iosephus Ciantes Rom. Episc. Marsicen. Opusculum de Incarnat. Verbi Diuini contra Hebræos ex communi Cabalistarum sensu nunc primùm eruto, editum Romæ nuncupauit Amplis. Patri Hyacintho Libello S. A. P. Magistro.*

Prodi liber securus in lucem
Zoilos haud metue
Præsto sunt qui Te excipiant Sapientum
Cum plausu manus, cum admiratione oculi.
Imitator Dei planè ingeniosus Scriptor tuus
Qui
Doctrinam de verbo Dei immenso
Nostra Mortalium causa abbreuiato
Hebræorum
Confundendis placitis, contundendis ceruicibus
Immensam
In istas Opusculi coëgit angustias
Sed & Tui tutelam Patri Magistro
HYACINTHO LIBELLO
Scilicet doctissimi Libelli, doctrinæ omnis Antistiti
Commendauit.
Miraculum Ciantes dum in Te monstrat
Diuinæ pietatis in Christi missione iam editum,
Haud insulsè præmittit spectandum
Editi nostro seculo monstrum ingenij.
Sed quid spectandum dixerim
Quod præsenti in luce propositum, Spectantiũ oculos beat?
BEAVIT PATRIÆ OCVLOS
HYACINTHVS
Quindecennis Philosophicas theses ac Theologicas
Vmbraculo applaudentium literatorũ pleno propugnans:
Magistriq; iam implens numeros, vix libata ætate discipuli;

BEAVIT ORDINIS
Ritè appellatus Magister annũ agens quintum & vigesimũ
Angelici Doctoris gloria rediuiua, pari in ætate laureati:
BEAVIT PROVINCIÆ
Summa Præfectura Romana semel & iterum perfungens
Ijs Prudentiæ exemplis editis, Quæ omni carent exemplo:
BEAVIT VRBIS
Philosophiam quadriennium. Theologiam quinquennium
Professus in Collegio Mineruæ;
— Honorum non immerens Mineruæ literariæ —
BEAVIT ORBIS
Studiorum Collegij de Propaganda fide Moderator
A secretis S. Congr. Indicis, Ab examine Episcoporum
A consilijs, A censura.
SS. Congregg. S. Officij, Indicis, Sacror. Rituum
Negotijs à Sede Apost. adhibitus grauissimis, Pacis Pisanæ
Regnorumq; Poloniæ, & Lusitaniæ:
BEAT ADHVC
Septennium iam in Sacri Palatij Apostolici
Adorando Magisterio
VIS PLVRA?
Amœnas, Seueras literas. Humanam, Diuinam sapientiam
Moralia, Christiana dogmata
Ciuilia, Ecclesiastica negotia
In se vno complexum fuisse, In se vno fouisse.
LIBELLVM
Nemo credat, qui non viderit
Nemo qui viderit, credendum oculis dicat
Nisi monstrum videre se credat.
Octauius Boldonius Mediol. Episc. Theanen.
Iosephi Ciantis Rom.
Episcopi Marsicen. obseruantissimus
Tantam Opusculo suo doctrinam
Tantum doctrinæ patrocinium
Gratulatur.

*Encomia Obitio Malaſpinio Principi Primo Infæcundorum renuntiato, dicta à Sodalibus in Academia Florentina apud Clericos Reg. S. Pauli poſt Panegyricum*, Cyropædia, *inſcriptum. Alluditur identidem ad Inſigne, quod ille ſibi inter Academicos aſſumpſit; videlicet Rubetum, ( deſumptum è ſtemmate communi Gentis Malaſpiniæ ) cum inſito Roſæ ſurculo, erumpente iam flore, impoſitoque lemmate* Naturæ fœdus, & Artis. *Alluditur præterea ad cognomentum inde ſibi adſcitum* Academici Syluatici.

PRINCIPATVS
Obitij Malaſpinij

BENE. EST
OBITI. MALASPINIE
Tibi. iam. ſtabat. Principatus
Nos. dedimus
Principatum. omnia. in. Te. ſpirabant
Conſpirauimus
Spopondit. Natura. Virtus. meruit. Fortuna. obtulit
Siderum. ſuffragijs. adijſti. non. noſtris
Conſciuiſti. neſcius. Tu. Tibi
Inuitaſti. inuitus. in. Inſigni. tuo. Academico
Renouata. Fabella. Sacra. de Rege. plantarum. Rhamno
Sed. feliciùs. ad. ſucceſſum. quò. ſpecioſiùs. ad. inuentum
Delicias. quippe. hìc. ſpargis. non. funera
Purpuratus. euadis. proprio. de. flore
Non. de. cruore. alieno
Edoces. Rubum. vigere. ad. honorem
Non. ad. horrorem. rigere
Nec. inſtruere. aciem. Marti. ſed
Veneri. hortos. beare
Tota. Spinæ. feritate. in. ſuauitatem. Roſæ. egerminante.
Ergo. quidni. lubens. Principatum. capeſſeres?
Quid. hæreres?
Anhelabant. omnia. Vrgebat. Nomen. ipſum. tacitum
Anagrammate. gemino

OBITIVS
I. SVBITO , IO. SVBIT

Suſcipit, I. SVBITO, mea Muſa, capeſſere honores,
Aureus emerito quos tibi Apollo ſacrat.
I SVBITO, excelſo vt radiet fax vertice Pindi,
Noſtra tuiſque bees lumina luminibus.
I SVBITO; ah quæ te ingenuum verecundia tardat?
Plaudat, IO, recinens noſtra Camœna, SVBIT.

PRVDENTIA
Obitij Malaſpinij Principis

Nullum
Principis. Inſigne. dignius, Prudentia
Nullum
Prudentiæ, dignius, Inſigne. tuo
Qui. doces, rubere. Rubum. in Roſas
Ridere. dumos. lætari. ſentes
Doctus. ipſe. à. Cn. Maximo. gentili
Qui
Ex Ethnico, Aſſecla. Chriſti
Ex. Equite. Romano, Martyr
Roſarium. è. Spineto. fecit
Sanguine. candidatus, Dei. purpuratus, ſuo
Dignus. Albo. Purpuratorum, Cælitum
Hæc, vera, Prudentia
tam, lucet. in. Te. Gentili. quàm
in. Fundatore. Gentis. ipſum. lucet. Cognomentum

Anagrammate

MALASPINA. VNA. LAMPAS

Plura per Alcinoi dulceſcunt poma receſſus:
Plura per areolas ſtemmata Flora legit:
Plura ſinu tellus grauidata metalla recondit;
Plura dat ingenio marmora Dædaleo:

Plu-

Plura nitent pretiosa rubro sub gurgite dona;
Plura micant rapido lumina fixa polo,
VNA sed immenso LAMPAS Sol sufficit Orbi:
Sol bene tu nobis, LAMPAS & VNA micas.

IVSTITIA
Obitij Malaspinij Principis

Flores
Ingenij. sunt. lasciuientis
quòd. stellæ. flores. lusu. reciproco
vocitentur
Lumina. sunt
compti. ad. splendorem. sermonis
quòd. luceant. in terrestri. Cælo. flores
quòd. floreant. Cælestibus. in. hortis. Stellæ
Hæc
Siue. pigmenta. quis. dicat. siue. malit. figmenta
Siqua. certè. danda. sit. metamorphosis
Astrorum. in. Flores
in. Tuo. credatur. Symbolo
Malaspinie. Princeps
quod attentiùs. intuenti
Astrææ. Cælestis. aspectum. velat
deuelat. imaginem
Iustitiæ. typum. suis. absoluens. numeris
ne. quid. in. Te. desideretur
ad. veri. Principis. decus.
Non. ferebas. absque. Floribus. Spinas.
Florum. Principem. inseuisti
Iustitiam
Supplicijs. armatam. in. improbos
præmijs. quoque. in. probos
par. erat. instrueres
æquè. hic. liberalis. ac illìc. rigidus
Floridus . Spinosus

Id.

Id . quod . Symbolo . offertur . refertur
Alliteratione.

OBITIVS . OBIT. IVS.

Intégrum vitæ quis Te neget, inclyte Princeps,
Gemma iuuentutis fulgida, Floræ & amor.
Seu castam offendis pubem, flos ore serenas,
Seu datur effrænem cernere, spina necas.
Reddis cuiquè suum. Virtus Te deperit vna,
Conqueriturque iras vna Megæra tuas.
Integer at fueris, nec OBITIVS omnibus vnus?
Diuide nomen, OBIT IVS: ita Iura dabis.

FORTITVDO
Obitij Malaspinij Principis.

Spinam
Tibi . efferant . Gentiles . in . Clypeo .
Fortissima . Gentium . non . tam . ex . bello . nata
quàm . nata . bello
bellam . se . ex . minis . formosam . ex . sentibus . florentem
ex . spinis . ostentat .
Veram . in . Fortitudine . pulchritudinem
in . strenuitate . speciem . sitam . intelligit .
Tu . Nepos . inuicte
Spinis . dum . asseris . Rosas
vires . auges . non . frangis :
virtutem . acuis . non . obtundis
Flore . Veneris . delectari . Martem . didiceras
Troiano . ex . Marte . Hectore
cuius . cristata . stemmate . rosarum . Galea
indicebat . cruentum . sanguine . Floris . ominoso
prælium . hosti .
Tibi . ergo . ex . Gentilibus
deberi . Fortitudinis . palmam
fidem . facit
Gentilitium . nomen

MA-

MALASPINIVS . SI . PALMA . VNI

Hìc, vbi cum rigido conſpirat Flora Rubeto,
Panditur Hectorei viuida imago viri.
Gentiles hìc cerne Duces, hìc cerne triumphos,
Dextera vt hoſtili ſanguine rorat adhuc,
At, SI PALMA VNI victori Gentis habenda,
Non niſi parta tibi creditur, Alme Nepos.
Hectores hìc multi? victor tamen vnus Achilles,
Prodigio aut Hector victor Achillis erit.

TEMPERANTIA
Obitij Malaſpinij Principis.

In . ſummo . natalium . ſplendore
tam . eſt . difficile . non . intumeſcere . quàm
facile . delirare .
Hoc . Arcades
ſuo . probauere . probro . illuſtrauere . dedecore
originem . Nationis . ante . Lunam . repetentes
Scilicet . ipſam . ante . Lunam . Lunatici .
Nulla . huic . deliramento, cenſura . ſeuerior . quàm
Tua . Princeps . Temperantia
in . origine . nobilitatis . aborigine
fumoſas . inter . imagines . ignara . fumi
Deprehendis . Tu . Maiores . altiùs . relecta . ſerie
Principes . Vrbis . Lunæ
vetuſtiſſimi . apud . Ligures . nominis . ditionis . ampliſſimæ
ut . ſeriò . iactaueris . Tuæ . nobilitatem . familiæ . quæ
Lunæ . ipſi . ſi . minus . origine . dominatione . certè
præceſſit :
Sed . temperas . ab . iſta . gloria
nouumque . decus . adſcititia . in . Roſa . ſic . affectas . vt
patrium . Rubetum . non . reſpuas
nihil . ſupra . Spinam . exquiras
quàm . poſt . exactum . Lunenſem . Principatum
effœtamque . familiam . Maiorum . * Martiam

* quia ab Anco Martio Rege Romanorum IV.

ſuper-

* *historiam pete ex Panegyr. nostro Cyropædia.*

superstes. * ACCINI. surculus
Malaspinium. tibi. stipitem. excitauit.
Tantum. ab. inani. ieiunus. es. laude
quantùm. ebrij. Arcades
vt. vèl. silenti. tibi. concinit. Anagramma
OBITIVS. MALASPINIVS.
TIBI. LAVS. OMNIS. PARVI
Est TIBI. LAVS. OMNIS. PARVI? Mirabile dictu,
Hac magè Regales nullus adorat opes:
Hac facunda petis penniger ora virûm:
Hac discis gelidos viuere post cineres:
Hac premis intrepido sidera celsa pede.
Sit TIBI. LAVS. OMNIS. PARVI. Cōpendia sunt hęc:
Laus laudum laudes temnere; Nolle, frui est.

---

*Florentiæ expositiuro Alumno nostro Philosophicas Theses disputandas sub auspicijs Sereniss. Magni Ducis, Dedicationem dictauimus in formam Epigraphes: cui suggessit argumentum incisus de more Clypeus in fronte Mappæ his insignitus symbolis; Videlicet. Spatium in Clypeo ipso bipartitum, supernum, infernum. Id nubibus distinguebatur quasi Cælum à Terra dirimentibus. Ac superne quidem in sede stellata Chorus Musarum Mineruam circumsistens: earum aliæ ad dexteram Gorgonas, & Crudelitatem abigentes, ad læuam aliæ similiter Bacchum, ac Cererem. Infernè autem subdiale solum, medium offerens stemma Mediceum cum insignibus Magni Ducis, fultum leonibus binis, Florentinum Imperium denotantibus. Ad dexteram Mars lanceam vibrans, aspectu in Musas toruo: & procul Cyclopes, iactantes alij sursum in Musas frusta catenarum, ferreas manicas, secures, lanceas: alij cudendæ malleis lanceæ intenti. Ad læuam Venus cum arcu, & sagitta in ipsas minitabunda Musas: ponè Cupidinum manus tela contra illas, & frustula catenarum iaculans: telumque bini ad incudinem fabricantes. Atque hinc expressa Dedicatio.*

---

Spe-

Spectatus. ſpectare. Ne. deſpice
SERENISS. FERDINANDE. II.
Etr. Magne. Dux
Theatrum. tuæ. mentis. idemque. Spectaculum
Miraculum. iuſtiùs
expreſſam. in. Symbolo. Ideam. Philoſophiæ
illuminatam. in. vmbra
animatam. inanimam
E N
ad. tuam. fœderatæ. gloriam
cum. Athena. Muſæ
conſpirans. cum. Eruditione. Amœnitas
cum. ſeueritate. colludens. comitas.
Procul. hinc
Monſtris. Genij. Ingenij. Tyrannis
exulantibus. eiulantibus.
His. ego. lineis. audacior. at. felicior. Apelles
N. N.
Magnæ. tuæ. imaginem. Animæ
Minima. in. tabula. Animo. tamen. Maximo
proferre. dum. tento
Philoſophiam. per. me. propugnandam
Tuo. ipſam. patrocinio
Tibi. Te. ſcilicet. commendatum
Me. conſecratum
Volo. & . Voueo.

*Pisis disputaturo N.N. nuncupationem hanc legalium thesium rogati dictauimus.*

TIBI
LEOPOLDE. SERENISSIME
ETRVRIÆ. PRINCIPI
INGENIORVM. ARBITRO
INGENVORVM. PATRONO
LITERATORVM. MECOENATI
VIRTVTVM. ANTISTITI
Has. Theses. de. Iure. Propugnandas
debitum
MANCIPATI. SVBDITI
OBSEQVENTIS. INGENII
AMASII. INGENVITATIS
STVDIOSI. LITERATVRÆ
CVLTORIS. VIRTVTIS
Tributum. Specimen. Argumentum. Tyrocinium
Primitias
D. D. D. Q
deuotus
N. N

*Astæ Pompeiæ propugnaturo Theses Rhetoricas Octauio Pellettæ alumno nostro hanc Dedicatoriam Epigrapham emendauimus.*

OCTAVIO. BROLIÆ
Ciui. Cheriensi. V. Illustriss.
S. Astensis. Ecclesiæ. Antistiti
Ecclesiasticorum. Antistitum. Exemplari
viuo. absolutissimoque
Cui. ornando
Virtus. nihil. negauit
Fortuna. multa. dedit
Fama. communis. plura

d 2 polli-

pollicetur
omnia. ominatur
Octauius. Pellecta
Palladinorum. Princeps. immeritiss.
Præsuli. meritiss. ac. Mecœnati. opt.
Theses. Rhetoricas. disputandas
Auctoritate. sua. vt. præsit. Aura. vt. prosit
&. faueat
supplex. D. D. Q

---

*Ibidem Alumno alteri Rhetorico emerito, procincto ad publicam disputationem, Thesium proponendarum Dedicationem hanc dictauimus.*

---

Spectatissimo. Patri. Magistro
ALEXANDRO. RVGGERIO
Ordinis. Franciscani. in. Subalpina. Prouincia
post. exactam. integerrimè. Præfecturam
Inquisitori. Generali. meritissimo
Sapientiæ. ac. Religionis
TEMPLO
IN. QVO
Lumen. effulget. ingenij
Pietatis. flamma. vigilat
Facilitas. morum. odorat
Sacræ. Theologiæ. Laurus. omni. verbena. sacratior
tot. inter. fasces. Magistratuum
&. faces. Virtutum
collocata. vernat.
Dominicus. Rabellinus. Astensis. eiusdem. Ord.
Studiorum. suorum. primitias
obseruantiæ. singularis. ergo
D. C. Q

---

*In Vrbe Asta Pompeia apud Pedemontanos, commissa Gymnasij publici moderatione Patribus Ordinis nostri ad Diui Martini, Anno MDCXXVIII. ducta sunt recentis Academiæ auspicia ab inuictissimo Duce Sabaudiæ Regnante, Imagine posita, Elogio subscripto.*

CAROLO . EMANVELI
ALLOBROGVM . DVCI
QVI
inuictam . armorum . gloriam
ad . securitatem . Italiæ . & sociorum . libertatem
mille . victorijs . inclytam
omnibus . famæ . vocibus . per . Orbem . terrarum
sparsit
Reges . Maximos . Potentissimosque
ceruicibus . Populorum . imminentes
incredibili . virtute . profligauit
&. inter . classicum . furentis . belli
eiectas . ex . omnibus . terris . Disciplinas
in . sinum . suum . confugientes . excepit
Literarum . nitorem . Militari . adoreæ
copulauit
ACADEMIA . PALLADINORVM
Imaginem . Pos
vt . cuius . res . gestæ . per . omnes . Nationes . vagantur
collectam . in . Vultu . Virtutem . suspicere . possit
M D C X X VIII.
Kal. Mar.

*In exuuias egregij felis confertas paleis, & ad memoriam suspensas in Villa Curtij Inghirrami, patritij Volaterrani in Etruria, qui nomen Iscaritæ indiderat bruto, ab effossis ibi fortè tunc temporis Iscaritis. Ita vocabant vulgò thecas memoriarum Romanarum aduersus temporum iniurias affabrè munitas.*

NE. MIRARE. VIATOR
quod. oculis. tuis. offertur. pensile
Animal. sine. Anima
Corpus. sine. Corpore
FELES. FVIT
Variegatus. vti. vides. ad. Naturæ. lasciuiam
Procerus. vltra. modum. congenerum. domesticorum
Obesus. ad. gulam. popinonum. exterorum
Deliciæ. Domini. Diuitiæ. ruris, nobiliores
Præterea
Continentissimus. vèl. inter. fœminas
Abstinentissimus, vèl. inter. fercula
Innocentissimus. vèl. in. infensos
Miraris?
Continentiam. emasculatione. est. doctus
Abstinentiam. saginatione. nunquam. non. obuia
Innocentiam. admisso. cum. muribus. ipsis. fœdere
quibus. in. pretio. semper. habuit. iactare. se
FELEM. sine. FELLE.
Iscarites. appellatus
Iscariotes. iustiùs.
Vtraque. Proditoris. appellatio
Alter. legum. amicitiæ. violator
Alter. sociæ. hostilitatis
Vtrobiquè. quoniam. temerata. fidelitas
esto. ad. probrum. sempiternum
Ille. pendens. de. arbore. hic. de. stipite
Et. huic. quia. viuenti
Nihil. felis. nisi. pellis. fuit
Fato. vindice
nihil. nunc. nisi. pellis. superfuit
Cuius
ad. detractæ. aspectum. atque. distentæ
Aut. hostes. felium. mures. horrescant
Aut socij. feles.

*Antonio Barberino Cardinali, Vrbani VIII. fratris filio, apud Sabaudiæ Ducem Legato à latere, Astæ Pompeiæ hospiti, plausus quàm potuit honorificentissimos dedit Academia Palladinorum, Theatro literario exstructo, cuius hæc erat Epigraphe liminaris.*

Ingredere
ANTONI. BARBERINE.
Cardinalis
Palladinum. Museum. Musarum. Palladium
Humanitatis. Templum
EN. VT
Ioui. suo. Pallas
Musæ. Appollini
Humanitas. Numini
debitos. in. plausus. exciuntur.

*Mediolani cùm Aedem Diui Barnabæ nostri Ordinis primariam (vnde cognomentum Vulgò Barnabitarum) ipso die festo Diui Barnabæ inuiseret Ferdinandus Austrius Infans Hispaniarum, Cardinalis S. R. E. ac Philippi IV. Regis Frater germanus; frontem Aedis distinguebant Epigraphæ tres, videlicet*

SALVE
FERDINANDE. AVSTRIE.
Italici. Romanique. sanguinis. proles. Augusta
Insubrum. spes. iucunditas. delicium
Diui. Leopoldi. Austriacam. sanctitatem. adauge
Verdæ. Barnabæ. Vicecomitis. Filiæ
Regna. ab. Anno. CCC
iure. sanguinis. Tibi. debita. erige. &. instaura
Hæc. duo. præcipua. tui. Generis. munia
Clerici. Reg. Collegij. S. Barnabæ
Lætabundi
ad. sempiternam. Patriæ. felicitatem
communium. votorum. sponsionibus
augurantur
comprecantur.

Quam-

II.

Quam . luſtras . oram
Sereniſſ. Ferdinande . Auſtrie
lucus . olim . fuit . DIS . Ethnicorum . ſacer
Sed . aduentu . Diui . Barnabæ . Apoſt.
horrore . Cacodæmonum . pulſo
eiecta . feritate . Manium
ſacrilega . impietate . euulſa . auerruncata
diſſeminatoque . Chriſti . Euangelio
in . Hortum . Religionis . amœniſſimum
Ciuitati . Mediol . effloruit .
Age . igitur . Ferdinande . Religioſiſſime
Veni . Auſter . Catholici . Orbis
Perfla . Hortum . noſtrum
&, fluent . iucunditatis . aromata

III.

Aſpice . ſerena . fronte
SERENISS. FERDINANDE
benignoque . obtutu . foue
Paruulam . Diui . Pauli . familiam
Tuamque . penitùs . agnoſce
Quæ
Mediolani . tuo . in . ſolo . enata . eſt
Oriente . Hiſpanico . Sole . Carolo . V. Abauo . tuo
Secundis . aſpirantibus . Auſtris
atque . Aſtris . benignè . conſpirantibus
Vt . tam . fauſtis . ex . incunabulis
ac . Cælo . Mediolanenſi . ſaluberrimo
Ordo . noſter . feliciter . adoleſceret
Patriæ . felicitati . iuuandæ
Auſtriacæ . gloriæ . propagandæ

*Mediolani cùm in Aedibus Ordinis noſtri ad Diui Barnabæ literario apparatu acciperetur Eminentiſſimus Cardinalis Theodorus Triuultius, hæc in conſpectu pendebat Epigraphe.*

Quam . geſtas . Purpuram
THEODORE . PRINCEPS
VRBANVS . VIII.
Vaticani . Senatus . Præſes
dignè . contulit
Te . vt augeret . non . vt . tegeret
Qui . virtutibus . tuis . admirandis
non . nouum . Orbi . Terrarum . ſpectaculum
præbæs
Pontifex
vèl . inde . Optimus . Maximus
quòd . Principem . Optimum
quòd . Heroëm . Maximum
beneuolentia . excepit
beneficentia . extulit

*De Theodori Statu triplici, Coniugio, Militia, Clericatu*

Cùm . Te
nobiliſſimo . ſatum . genere
pari . Heroinæ . coniugio . ſociatum
Patria . vidit
inuidit
Cùm
domeſticas . delicias
inuiolato . coniugio . Militaribus
periculis . copulatas
inſpexit
admiratione . inuidiam . auxit

Quòd

Quòd
nunc. iſtis. percalcatis
ad. Arcem. Romani. Senatus
gradum. ipſe. feceris
inuidiam. omnem. vincis. &
admirationem
Quonàm. Ætatis. Vbinàm. Gentium
id. exemplum?

*Item*

Qui
genus. Heroum. agnoſcebas. tuum
ſplendorem. Natalium. Militaribus. adoreis
adauxiſti
Vtrumque. iungens
Religionis. ad. Aram. ſiſtis
Pinguis. inaurato. taurus. ſtet. vt. hoſtia. cornu

*Deinde Arcus in morem triumphalium, proſpectum Theatri colligebat; nimirùm exacto ſtatu Clericali Theodori Cardinalis conſequebantur ſponte vota & auſpicia Summi Pontificatus, è ſtemmate illius gentilitio concepta. Quo in ſtemmate vndecim diſtinguuntur figuræ, quas Aligeri ſinguli circum Arcum diſtributi in Clypeis expictas altera ſuſtentabant manu, altera ſchædulam euolutam & inſcriptam monoſticho in ſpeciem Emblematis ad ſuam quoque figuram alludente. Vniuerſi porrò Aligeri in Cardinalem conuerſi, cuius imago faſtigium tenebat Arcus.*

*Primus itaque geſtabat membrum ſtemmatis Triuultij nobiliſſimum, hoc eſt Diuam Virginem Rheginam, quæ Deum puerum ſtantem venerantur cum Epigrapha ſua* Quem genuit, adorauit. *In ſchedula verò noſtrum legebatur auſpicium.*

QVEM. GENVIT. PATREM. ADORABIT. TE. ROMA. SVPREMVM

*Alter Triuultum, seu ternam faciem corona redimitam (primitiuum stemma, à quo nomen Genti Triuultiæ) cum adiecto Auspicio*

SERTA. MANENT. VVLTVS. TRES. TRINA. TVVM. VT. CAPVT. ORNENT

*Tertius Solem, cum Auspicio.*

SOL. MVNDO. SOLVS. SOLVS. DOMINABERE. MVNDO

*Quartus Crucem de astris compactam, cum Auspicio*

CRVX. ASTRÆA. TIBI. IMPERIVM. PROTENDET. AD. ASTRA

*Quintus Quercum, cum Auspicio*

QVERCVS. AVITA. ORBIS. DAT. REGNVM. TESTE. SABINO

*Sextus Hydram septena vibrantem capita, cum Auspicio*

HÆRESEOS. TE. SEPTEMPLEX. MANET. HYDRA. NECANDA

*Septimus Mare fluctuabundum, cum Auspicio*

IACTATAM. PETRI. SERVABIS. IN. ÆQVORE. PVPPIM

*Octauus Manipulum aristarum, cum Auspicio*

ROMVLVS. OMEN. HABET. BONVM. HABEBIS. ET. IPSE. MANIPLVM

*Nonus Stellas tres transuersas, Orionem referentes, cum Auspicio.*

SACRILEGIS. TRISTI. SED. VVLTV. ORIERIS. ORION

*Decimus Crucem, mediam inter Rosas duas purpureas, cum Auspicio*

SIC. TV. PVRPVREO. PRÆSVL. STIPABERE. COETV

*Vndecimus Septa tria, trium veluti stadiorum effigiem, cum Auspicio*

SERTA. TRIBVS. STADIIS. TRIA. MOX. THEODORE. PARABIS

*Porrò fastigium Arcus Epigrapha ornabat velut Index Emblematum genericus.*

TRINO. PROLVDVNT. SINGVLA. REGNO

*Apsidem quoque occupabat Epigramma, superiora distribuens in classes Emblemata, videlicet*

SOL. CRVX ASTRÆA. ORION. TRIA LVMINA CÆLI
CERTA TIBI SPONDENT MOX FORE IVRA POLI.
QVERCVS CVM SEGETE ATQVE ROSIS. TRIA PIGNORA TERRÆ
CERTA TIBI SPONDENT MOX FORE IVRA SOLI.
TRIFRONS. HYDRA. DVO PORTENTA. MARISQVE PROFVNDVM
SPONDENT IN STYGIOS MOX TIBI IVRA FORE.
TERNA DABIT VIRGO. FRONTEM QVÆ STEMMATIS ORNAT
IVRA. CREANS NATI TE VICE IN ORBE SVI.

*Quod & Epigraphe soluta offerebatur auspicium, videlicet.*

THEODORO . TRIVVLTIO
Patritio . Mediolanensi
Inter . Nobiles Equiti
Inter . Equites Principi
Inter Principes Purpurato
C V I
Cùm . patria . ornamenta . leuidensia . putarentur
Insigniora
è . Regia . Hispaniæ
ex . Augustali . Germaniæ
ex . Vrbis . Vaticano.
Ter . Maxima . Virtus
adsciscens
TRINVM . VVLTVM
TRINO Coronandum REGNO
auguratur

*Fugerat referre clausulam Theatri de statu triplici, Nuptijs videlicet, Militia, & Clericatu per triplex Anagramma Græcum cum subiecto Epigrammate, quòd sic habes.*

Θεόδωρος ῥόδον Θεοῦ, hoc est *Rosa Dei*,
Θεόδωρος δόρυ Θεοῦ, hoc est *Hasta Dei*,
Θεόδωρος δῶρον Θεοῦ, hoc est *Donum Dei*.

Hic ROSA vernat, & Hasta riget, DONVMquè grauescit,
Nomine cuncta tuo sunt tria fata DEI.
Sic Rosa debetur Veneri, Mars vindicat HASTAM,
Largitor DONI Iuppiter id repetit.
Ætatis florem Thalamo das iure Triuulte,
Robur Militiæ, Pondus & Imperio

*Piſciæ in ædibus Marchiorum, ſub imagine Iuliani hæc à nobis ex-prompta Epigrapha legitur, petente Ludouico Iuliani fil. Equite Stephaniano, Viro elegantiſſimo.*

IVLIVS . MARCHIVS
Piſcienſis
Iuris prudentia, Vitæ probitate
è paucis Vnus ætatis ſuæ
Septuagenarius moriens
VIVIT
In hac imagine ad verum
In poſterorum memoria ad exemplum
expreſſus.
Deuixit XI. Kal. Nouemb.
M. D. C. X. X. X. V. I.

*Aſtæ Pompeiæ Academia exceptus Octauius Brolia Epiſcopus de Anno 1628. in ipſo Aditu Epigrapha ſubſcripta eſt ſalutatus.*

Tuo. in. Aduentu. Fauſtiſſimo
OCTAVI. BROLIA. PRÆSVL
OCTAVIVS. BOLDONIVS. RHETOR
Nouam. ſibi, lætitiæ. ſegetem. ac. felix. omen
Claſſi. Rhetoricæ, concipit
NOVAM
quia. non. nouus. eſt. aduentus. tuus
quem. Solis. æmulum. eſſe. voluiſti
Vt. nouum. ſit. meritum
quod. noua. nunquam. ſit. præſentia
LÆTITIÆ. SEGETEM
quia. Mecœnatem. ſuum. accipit
Genium. Academiæ. Gymnaſij. Mineruam
FELIX. OMEN
quia. ſimile. agnoſcit. nomen

ple-

plenum . omine
sed . Nomine . splendidius . &c . augustius
Chorum . ergo . Musarum
hoc . est . Auditorum . suorum . Tibi . aduentanti
deducens . occurrat

*Limina dum lustras, Præsul, facunda Lycei,*
*Lampade Phœbæa Cynthia plena nitet.*

*In ipso autem pandentis sese Theatri sinu varium hinc inde in laudes Broliæ carmen, Emblema, Symbolum ostentantis, tollebatur Hermathena sub ære, cum hac in basi Epigrapha.*

OCTAVIO . BROLIÆ
Præsuli . Amplissimo

Quòd . nascentem . Palladinorum . Academiam . apud . Clericos . Regulares . Diui . Pauli . præsentia . sua . frequenti . honestauerit . Humanitate . fouerit . Maiestate . prouexerit . &c . inter . Martios . fremitus . imperturbatas . Musas . triennium . seruauerit . Classis . Rhetorices . grata . beneficio . gratulabunda . conspectu . subsecuturi . patrocinij . non . ambigua .
Theatralem . hanc . pompam . exponit
MDCXXX.

*Quo primùm anno fundata in ea Vrbe Academia Palladinorum, exhibita est publicè* ΕΛΛΗΝΟΛΑΤΙΝΟΜΑΧΙΑ, *hoc est Disceptatio inter Græcos & Latinos de gloria Eloquentiæ. Prodiere in arenam seni hinc inde, palliati, togati, sermone habitum comitante in morem veterum, Mercurio autem iudice. Sed ambiens Theatrum Latino, Græcoque carmine distinctum cum argumentis & symbolis picturatis, magnificentiæ accessionem non modicam afferebat spectaculo. In ijs hæc pendebant Latina Elogia totidem Græcis opposita, quæ distributionem indicant pompæ literariæ*

Pro

Pro Latinis Oratoribus
M. T. Cicero contra Demosthenem.

Congredere. cum Græcia
Latium
Præsto. est. Cicero
Sanguis. Equitis. splendidissimi. Qui. tuas. copias. sui. opibus. ingenij. solus. alat. Vir. natus. ad. Eloquentiæ decus. ad. Ingenij. pompam. ad. Naturæ. miraculum. Quem. qui. ignorat. Solem. ignorat. Adolescens. dictione. superior. viris. fuit. Imbellis. armatis. Pacatus. Imperatoribus. Causas. forenses. agens Literariam. vicit. Tanto. felicior. Græcis. quanto Latinis. fortior. Sedatos. concitauit. Concitatos. sedauit. Furentes. compressit. Lingua. enses. obtudit Omnium. primus. in. Toga. triumphum. meruit Versatus. in. foro. Spectatus. in. campo. Arma. Linguam. expedijt. In. vtroque. Cicero. fuit. Caueto. Græcia. Vtrumque. in tuam. perniciem comparatur

Pro Latinis Historicis
Liuius contra Herodotum

Italia
funde. nectar. sparge. lilia.
T. Liuius. prodit
Hic. ille. est. qui. Musis. feliciùs. faciliùs. Pegaso non. calce. sed. lingua. fontem. reclusit. lacteum Romani. Imperij. æterna. auspicia. æternis. consecrauit. monumentis. Victricem. gentem. Victore calamo. est. prosecutus. Plus. ipse. calamo. quàm ferro. illa. potens. Res. illius. coæuas. Mundo. reddens. se. ipse. Fato. surripuit. Meritò. Romanæ. hic parens. historiæ. qui. Romanis. gloriam. ingenio pepe-

perit. Lactea. scriptione. nutriuit. Quadraginta. supra. centum. historiarum. libros. exarauit. Latinus Apollo. Viros. clarissimos. remotissimis. ex. oris Romam. traxit. Vrbem. ingressos. vel. religione. Numinis. vel. stupore. Vrbem. ipsam. minimè. intuenteis. Quid. hic. iactas. Herodote? Musas.
Tu. profers. Nos. Apollinem.

Pro Latinis Vatib. carminis Heroici
Virgilius contra Homerum

Plaude. manus. Aude. Calame
canentis. Cycni. sonos. referre
P. Virgilius. Maro. ex humili. solo. ad. Solium. vsque. in. Phœbi. Regia. euectus. Latinis. primùm. inde. Græcis. Vatibus. bellum. indixit. Vtriusque Gentis. literis. instructus. vtramque. facilè. deuicit Denique. Homero. in. omnes. partes. versato. mirabili. arte. palmam. in. manibus. infregit. Lectione hausit. Imitatione. expressit. Studio. &. contentione. superauit. Se. ipso. quoque. superior. Exulta Latium. Homerum. tu. quoque. habes? Sed. oculatum. qui. suis. fulgoribus. Græco. vel. lumina. conferat. vel. perstringat

Pro Latinis Vatibus carminis Lyrici
Horatius contra Pindarum

Conflaccescunt. Græcorum vires.
ad. Q. Horatij. Flacci. congressum
Hic. patria. Venusinus. Ingenio. venustissimus. pulcherrimam. Disciplinarum. auspicio. Deæ. Italia Græcia. venatus. in. Pindari. sinu. deprehensam surripuit. Honestiore. mundo. excultam. in. Latium depor-

deportauit. Testatur Græcia . vniuersa. Literarium. ad bellum.exardens.Tu verò. Latina. Italia.erige. animos Horatium . habes . tuum . qui . solus . Hostium . impetum . non . clypeo. sed. barbito. non. gladio. sed stylo non . arcu. sed. plectro . sustineat .

*Elogium pro clausula corpusculi Elogiorum in Vicarium Generalem Episcopi Astensis, cui facta in fronte operis Dedicatio.*

Tibi . verò
CLARISS. HIERONYME . GEORGIE
postremum . hoc . esto . nuncupatum . Elogium . quem . ego . primum . in . votis . colendum . habui . Tu . enim . is . es . qui . Diœcesim. hanc. amplissimam auges . natalibus . ingenio . decoras . eruditione . ditas Duplici . lancea . probitatis . & prudentiæ . Sacram Rem . integerrimè . administras . Magni . Pontificis Magnus . Vicarius . Anceps . vtri . Fortuna . largior Certè . vt . ope . nititur . alter . alterius . sic . & . accipit . laudem . & . impertit . Eiusdem . vterque . vindex . gloriæ . Æmulator . vterque . quamquàm . non Æmulus . Diuiditur . vtrique . honos . oneris . Mirum tamen . decrementa non . pati . sed . crescere . magis ex . ipsa . detractione . cumulum . Ne . temne . igitur Mecœnas . beneficentissime . hoc . ingentis . animi pignus . exiguum. Tantum . siquidem. Laudibus accedet . tuis . quantum . ieiuno . meo . stylo detrahitur

*In Pompeium Alemannium patritium Laudensem, Philosophicarum Thesium propugnatorem, Encomia collegarum nomine dicata. Fit allusio ad auitum stemma, quod in superiore spatio praefert aquilam in diademate; in inferiore tria septa, quasi stadia, & Manum protensam, prehensa Ala pennigeri.*

Hoc. Tibi. brauium
POMPEI. ALEMANNIE
Hoc. Tuae. festinatae. virtuti
anathema
propositum promeritum
Peperisti. auito. in. Stemmate. Stadia
simul. Studia. deperisti
quibus. metam. contingeres. gloriae
cui. nulla. nisi. Caelum. meta
nullo. nisi. Alarum. praesidio
nisi. Auitae. volucris. auspicio
contingenda
Sed. ALAM. MANVS. tibi
porrexit
curriculum. vt. volatu. emetirere
non. cursu.
Tu. Nobis. coaeuis
EX. ALA
pennas porrigis
quibus. tuas. certatim. describamus, dotes
deuolemus. in laudes
Ipsique. Nobis. Altiores. pertentemus
humanam. superuolans. facultatem
argumentum.

*Primo in Stadio gentilitij stemmatis Generositas à Pompeio Alemannio meditata.*

Age. quisquis. Te. Nobilem. iactitas
Intuere
POMPEIVM. ALEMANNIVM
nobilissimæ. Stemma. familiæ
In. Se. imprimentem. nomine
exprimentem. indole.
Ostendet. Hic
non. ore. ostentandam. sed. more
Nobilitatem
præferendam. Manu. non. voce. proferendam.
En. vt
Sui. penè. impos. per. ætatem
iam. Spiritus. Excelsi. compos
percursat. Illustrium. Auorum. protrita. spatia.
Speciosus. Nepos
ampliora. adhuc. quæritans
Gentilitiæ. in. AQVILA. Generositatis
æmulator.
Acceptum. Virtutis. patrimonium
plumbea. in. ætate
Aureus. Adolescens. Gloriæ. sed. Auarus
augere. de. suo. satagit. ne. dum. conseruare.
E. stemmate. sibi. petens. oraculum
Tibi. referens
Lector
*Haud. posse. Te. Nobilitatis. Alam. iactare. quam tua. ipse. Manu. id. est. opera. non. prehenderis.*

*Morum Probitas alterius Stadij in Gentilitio Stemmate Pompeio Alemannio meta proposita.*

POMPEIVS. ALEMANNIVS
O. plenam. oraculi. nuncupationem. geminam
Accipite. Ciues. Suſpicite. Iuuenes
Ciuilis. Iuuenis. Exemplum
vti. clarum. in Viro. ita rarum. in. Iuuene.
Quæ. ſit. Quæritis. homine. Nobili. digna
POMPA?
ALAM. prehenſet. MANVS
in. Alemanniæ. Stadio. ſcitè. porrectam.
Sint. Acta. ſint. Mores. non. ad. Terreſtria. deorſum. ſed
ad. Cæleſtia. ſurſum. compoſiti.
Erectas. imitentur. volucres. non. pronas. pecudes
Nobilitatis. facem. à. fæce. vulgi. ſecernant.
Eleuatam. ab. Opifice. Deo. humanam. faciem
æmuletur. vita
Conſpiret. cum. oculo. manus
Corporeum. pondus. ſubleuent. piæ. mentis. ſtudia
informent. animent.
Opus. Dei. Hominem. Deo. dignum. reddat
ad. Dei. regulam. formata. diſciplina.
O. non. irrita. Ciuitatis. vota. in
POMPEIVM
probitatis. filium. parentibus. ſuis
apprecantia:
alienis. filijs. parentem. probitatis
admirantia:
Optimum. illis. diſcipulum. his. Magiſtrum
Solidæ. indicem. nobilitatis. inanis. vindicem
proborum probatorem
improborum probrum

*Tertio emenso curriculo Auiti Stemmatis Pompeius Alemannius Eruditionis lauream capessit.*

Tandem
POMPEI . ALEMANNIE
Philosophicam . emereris . rudem
eruditissimus . commilitonum . Philosophantium .
Acclamamus , vniuersi . Applaudimus .
Absoluisti
egregij . adolescentis . imaginem
Cui
fecit . indoles . Tabulam
illeuit . Generositas . Campum
induxit . Probitas . Lumina
Superaddidit . Vmbras . Eruditio . postrema , ceu
manus . nulla . manu . nullo . calamo . dignè
describendam
ni . cui . Gentilitia . tua . Manus . ex Ala . pennam
attemperauerit .
Iam . euoles . licet . Coronatus
ad . campos . felicitatis
Regio . tuo . Alite . generosior
nobiliori . fultus . Alarum . remigio
Integritatis , Sapientiæ .
Iam . non . indigus . Auiti . Stemmatis
Ipse . Tibi . Stemma . factus . et
posteris .

*Pro Corona,*

Confecisti
POMPEI . ALEMANNIE
triplex . prima . vix . in ætate . catadromon
collegisti . puluerem . trinum
Generositatis , Probitatis , Literaturæ
ne. leuiter . conspersum. virtute . præ . te . ferres:
In . puluere . firmiùs . quàm . in . Marmore
Adolescentiæ . Tuæ . laudes . ad . æternitatem
perscribens.
Deuorasti . Hercule . felicior
vno . in . itinere . tergeminum . stadium ;
Tetigisti . fortior . metam
vt . non . fatigatus . consistas . sed . è . cursu . expeditior
mox . ineas . pro . patria . felicitate
curriculum ;
priuatosque . continues . labores . cum . publicis
Idem . Tibi . vt . fiat
cum . certamine . triumphus
arena . sit . eadem . & meta
labor . &. quies.
nobilissimum . Tibi . monimentum
æqualibus . monitum
statuens
*Vnum . sæpe . pro . multis . Adolescentem . Viris*
*bene . instituta . ingenuitate . sufficere*

Danie-

*Danieli Comiti ( seu de familia Comitum in Vrbe Mediolano clarissima ) Academiæ Arcimboldiæ Principi renunciato, post dictum Panegyricum, cui PHOEBVS est titulus, ab eius percelebri gentili Phœbo, Chorus subinde Planetarum, Astræa duce, gratulatus fuit, præcipua illius decora illustrans Elogijs cum attexto Anagrammate, & Carmine.*

*Trolusio Astrææ.*

Salue. Phœbe. Titan. Salue
Magnum. Naturæ. miraculum
Simulacrum. Deitatis. expressum
Vniuersitatis. Rerum. Numen. Augustum
Lux. Mundi . Lex. Diei . Dux. Æui.
Quid. mirare
suis. auulsos. Orbibus. Planetas
memet. abdicatam. Astris. Astræam
in. Terris. Tibi. sisti?
Mutatæ. leges. mutare. Nos. iubent. sedes
Satellites. Regem. sequi
Faces. Sponsum . Sidera. Solem
fas . est.
Errant. hic. Planetæ. vt. nusquam. magis
nec. tamen. errant
Ducem. comitantes. suum.
Cælum. ijs. cæcum. est. Orbes. orbi
oculo. Te. suo. carentes:
Absque. Sole. soli. esse. non. ferunt
Qui. Te. Sole. præsente
vel. ipsum. solum. Polum. reputant.
Sed. et. Ego. Auroræ. filia
ad. nouum. iubar
in. hac, infera. regione. lucescens
adsum. cum. Choro
Inspectura. mutatas. hodie. in. Cælum. Terras
In. solo. Solem. In. luto. lucem. In. fæce. facem
Admirabunda. lumen
Venerabunda. Numen

Luna

*Luna Nobilitatem commendat.*

DIANA.EGO.
Diei.agnoſco.Authorem
Phœbe.Phœbum.Cynthia.Cynthium.
An.illum.ignorem
quocum.eadem.ſortita.ſum.incunabula
auram.eandem.hauſi
Cælum.idem.aſpexi?
Claritatem.generis.æſtiment.Terricolæ
affectent.oſtentent.
TE.DANIEL.COMES
Quis.illuxit.clarior?
cuius.Genus.in.ortu.protulit.Phœbum
Cælum.Terras.vndique.radijs.complentem.
Geſtent.Romulidæ.ad.caligas.Lunarem.formam
in.argumentum.Nobilitatis
Tu.Solem.non.Lunam.exhibes.
Inſaniant.Arcades
originem.ante.Lunam.repetentes:
Sat.habes.ipſe
æqualem.eſſe.Lunæ.germanum.geminum
COMITEM.
Quamquam.ego.Te.Principem.fateor
tributumque.rependo.lucis.quam.impendiſti
è.nominis.depromptum.theſauro
DANIEL.COMES
EN.SOL.DIANÆ

Cæruleis quòd vecta rotis ſuper Axe triumphem,
Et ceu Reginam ſidera celſa colant:
Non mihi fuderunt iſtam cunabula lucem,
Non mihi natiuus talis adhæſit honos.
EN SOL qui tribuit lucis decus omne DIANÆ:
Hic frater, Princeps: hic mihi Numen adeſt.

*Mercurius Ingenium vehit*.

Hiccinè. Terrarum. Phœbus?
In. humana. specie. Deus?
In. caligine. mortalitatis. Titan?
MERCVRIVS. EGO
Mercatorum. Genius. Mercator. Ingeniorum
nouas. hic. merces. admiraturus. adsum.
Mutata. figura. Iuuenem. Ales. imitor
imitaturus. in. Iuuene. Alitem.
Numen. Me. vnum. rebar. Ingenij
Sed. iam. Lumen. &. Solem. video.
Præpetior. hic. mente. quàm. ego. pennis
immensa. Cæli. præteruolat. spatia.
Natus. ad. literas. factus. ad. Musas
Datus.
ad. æui. sui. gloriam
ad. antiquitatis. inuidiam
ad. posteritatis. prodigium.
Hactenus. à. Dijs. in. Terras. legor. ad. homines
ad. Numen. posthac. demittar
spectaturus. miraculum
proditurus. oraculum
omen. facturus. ex. nomine
DANIEL. COMES
LYCEI. DAS. OMEN.

O decus Hermetis, lux ò clarissima mentis,
Edite felici sidere, Magne COMES.
Auram vix libas primam, vix pandis ocellos:
Dædalea ingenij tela repente vibras.
Nondum nomen habes, muto tamen ore LYCEI
DAS OMEN. Felix præside Te Ausonia.

Venus

*Venus Poësim deperit.*

Amoris . Dea
Quid. nisi. speciem. amem? Venus. quid. nisi. venustatem?
Prope. Phœbum. in. Cælo. consederam
eius. capta. radijs. rapta. ore. beata. concentu
Te. nunc. Illucescente
DANIEL . COMES
ille. deficit. Oriente. occidit. Concinente. conticescit.
Quidni . protinus
euocer. ad. noui. Phœbi. prospectum?
Facessat. hinc. Plato:
Tuo. enimuerò. in. ore
Mellificauere. Apes. Cecinere. Luſciniæ. Sessitauere. Gratiæ.
Plectrum. vbi. tractas. Arcum. tendis
Fides. vbi. pulsas. Tela. iacis
quibus. vbique. venaris. Veneres.
Iam. fordet. in. Syluis. Orpheus
De. fabula. Phœbus. triumphat. De. vmbra. Sol.
Tu. lepidissime. Vatum
Axem. non. saxa. Planetas. non. Plantas
Sphæras. non. feras. Lumina. non. flumina
cogis. carmine. sistis. cantu.
Ea . Te
Phœbum. Terræ . Orpheum. Cæli
consalutant
in. nomine. vèl. muta. ludunt
DANIEL . COMES
CAELO . MEDIVS

Me rapit, ætherios plectro qui temperat Orbes,
Qui ferit argutam, me ferit ille, lyram.
Alter tu, Daniel, meritò celebrabere Phœbus,
Siderei in terris æmulus axis eris.
Sed cur alter eris? terris cur, Phœbe, sedebis?
Sol CAELO MEDIVS, solus in Orbe micat.

*Mars Oratoriam vim demiratur.*

Tua. in. declamando. virtus
DANIEL. COMES
Humana. maior. inuidia
Noſtram. prouocat.
In. Mercuriali. puluere. Martius. Tibi. non. deeſt. furor
Lacertos. exertas. verbis
Mineruam. cum. Bellona. committis.
Armatam
vbi. præfers. eloquentiam
inermia. reddis. Arma. Bella. imbellia:
Doces. in. Toga. triumphum. ducere
Caducæo. pugnam. conſerere
Lingua. enſes. obtundere.
Tui. Flumina. Ingenij
tuæ, Gentis. bellica. referunt. fulmina
Cui. pro. Campo. Lyceum. eſt
pro. Exercitu. Concio
pro. Telis. Enthimemata
pro. Equo. Suggeſtus.
Vocis. claſſico. certamen. indicis
dicendo. dimicas. perorando. triumphas
plauſus. ac. famæ. Trophæa. excitas
immortalia.
Vnus. in. Oratoria. Phœbus. es
radiorum. ſpiculis
non. tam. viſendus. quàm. verendus
merito. vt. referas
DANIEL. COMES
LAEDO. MICANS

Sum Phœbus, fateor; ſolus ſum Phœbus in Orbe.
Sol mico, ſed claro lumine LÆDO MICANS.
Spicula ſunt mentis, quæ torqueo, verba diſertæ,
Dura quibus cedunt marmora, firma cadunt.
His meritò Princeps incedit fulgidus armis:
Emicat hinc facilis, dimicat inde grauis.

*Iupiter*

*Iupiter Pietatem illustrat.*

Ætheris . Ego . filius
IVPITER
Æthereos . mores . terris . inuexi
Mortalium . genus . Pietatis æstu . incendi
Prudentiæ . astu . muniui
summam . Prudentiæ . in . Pietate . statui
Feras . fieri . homines . docui
Homines . Deos
à . solo . ad . Polum . erigi .
Iupiter . Optimus . Maximus . proclamatus
Maximos . facio . quos . Optimos . video
mores . honoribus . honores . motibus . vt . consonent
Hocce . Fulmine . tollo . impios
Hocce . Lumine . extollo . pios . et . beo.
TE
DANIEL . COMES
cùm . aspicio
magnum . meum . agnosco . incrementum
quàm . clarum . pietate . tam . carum .
Gentem . tuam . Religione . dum . claras
maiorem . efficis . Maiorum . splendorem
vt . ex . Comitibus . neminem . habeas : comitem
parem . neminem .
In . Terris : positus . iactare . potes
DANIEL . COMES
DE . CAELIS . MANO.

Non me terreno celebret de semine Clio:
Non mortale genus censeat illa meum.
DE CAELIS MANO, Phœbumque agnosco parentem:
An generis possum degener esse Nepos?

*Saturnus festinatæ plaudit virtuti.*

Intuemini. Lumina. socia
Miramini. Numina
Non. Deorum. parentem. delapsum. ad. homines
sed. hominis. partum. assumptum. in. Deos.
Miramini
non. hocce. grauis. ætatis
non. comæ. canitiem. non. gradus. tarditatem
non. hoc. insigne. copiæ. ac. vbertatis. falcem.
Annosa. hæc. mihi. dedit. ætas
vetus. parauit. vsus
longa. quæsiuit. periculorum. series.
Exacta. honestè. ad. mortem. vita
immortalem. fecit:
collata. Terris. beneficia. inseruere. Cælo.
Nouum. Habetis. in
DANIELE. COMITE
quod. miremini. prodigium. quod. prodatis
miraculum
In. Iuuene. Senem. In. Adolescente. Virum
In. Impubere. Canum
Maturam. acerbis. in. annis. prudentiam
Firmam. infirmis. in. artubus. virtutem
Festinans. ante. iuuentam. consilium
Absolutos. in. limine. ætatis. mores
Annis. ieiunum. Saturum. meritis
Dignum
cui. cedat. Saturnus. Regno. victum. se. dedat
ac. stupens. inclamet
DANIEL. COMES
ES. DONVM. CAELI

Cui fortuna dedit, tua (Princeps) ora subire,
Cernere cui mores, diaque gesta dedit;
ES DONVM CAELI, dixit: te sidera terris
Larga dedere, Patrem terrigenam renuis
O dignum Cælo donum, quod Numina Cæli
Concitat in laudes, cogit in inuidiam.

*Astraea Chorum absoluit*.

Quid . iam . inuideat . Olympo . Tellus
Tantis . irradiata . fulgoribus ?
An . pulchrior . Cæli . facies ?
An . imago . spirantior ?
Ille . Cometas . Hæc . Comites
profert
Ille . fulgura . Hæc . gloriæ . fulgores
Phœbum . vterque . ostentat . vterque . Solem
* Id . in . solstitio
quùm . non . illic . progredi . non . hic . lucere
vlteriùs . est .
Nam . quæ . claritas . tuæ . Gentis . Princeps ?
quod . lumen . Ingenij ? quis . nitor . Carminis ?
quis . splendor . Orationis ?
quis . radius Pietatis ? quis . fulgor . Virtutis ?
Iure . confluentes . huc . vides . Planetas
concurrentes . ad . Phœbum . Stellas
et . quem . Academici . concordes . inaugurant
INFOCATORVM . PRINCIPEM
Ego . Cælestis . Reip . Nuntia
Principem . Siderum . pronuntio . et . voce . præconis
effero
DANIEL . COMES
DOMINVS . CAELI
SEDEM . IN . CAELO .

* *Allusio ad tempus quo habita hæc Encomia.*

Es DOMINVS CAELI, Daniel, Te Sidera clamant,
Omen & ex claro nomine læta petunt.
Sidera Te clamant Dominum, Phœbumque salutant:
Regia dant Cæli Sceptra, tributa ferunt.
Si DOMINVS CAELI es, Phœbusque, tenebere Terris?
Ah SEDEM IN CAELO, Phœbe, reuise tuam.

*Astæ*

*Astæ Pompeiæ apud Pedemontanos de anno MDCXXVII. instituta per Nos Academia Palladinorum ( quorum Symbolum Equus Troianus, latere adaperto Galeas & Loricas, & enses ostentans, cum lemmate superne ex Virg. Aeneid. II. DIVINA PALLADIS ARTE ) renuntiato Principi Octauio Pellettæ patritij Astensis Filio, post Dictionem panegyricam de suggestu, productus in scena fuit gratulabundus Chorus Musarum, Duce Apolline, ornamenta inaugurati Adolescentis prosequens laudibus, Videlicet; Generis nobilitatem, Ingenium, Virtutis studium; Pietatem, Orationis facundiam, Historiæ nitorem, Græcam literaturam, Poësis elegantiam; Principatum; eaque singulis Elogijs soluta oratione cum subtexto lusu Anagrammatico, & carmine. Eius porrò inuenti gloriolam vsurpabamus nobis, vt nullo ante hàc exemplo Academicorum inspecto, ita Marte nostro dictante; ac genio ætatulæ vix tum pubertatem prætergressæ. Itaque scriptiunculas illas, tyrocinium meditationis nostræ Elogialis, in animo erat hoc loco supprimere, præsertim cùm oborta mox epidimia, peremptis rebus domesticis ac scriptis Academiæ, vix paginæ quinque eius argumenti superstites fuerint, in quibus Thalia Musa Pietatem commendat, Vrania Orationem, Polyhymnia Historiam, Terpsichore Græcam literaturam, Euterpe Principatum. Sed ne nostris cum nugis memoriam Adolescentis egregij, ac familiæ inter Astenses Principis supprimere videamur, accipe, quæ pagina fida restituit; &, quæ immemorem iuuentutis senectam fugiunt, excusa.*

---

*Pietas.*

THALIA
Sororum. Quarta
concordabo. Princeps. in. tuas. laudes
in. memet. diſcors.
Pro. laſciuia. perſequar. Temperantiæ. magiſtram, Pietatem
mollitiem. compenſabo. ſeueritate
iocoſis. ſubſtituam. ſeria.
Tu. ſiquidem. Cælo. natus. intemperantiam. neſcis. affectuum
Mente. Moribus
ad. Cælum. collectus. ad. Cælum. compoſitus:
Hoc. vno. intemperans
quod. neſcis. à. Pietate. temperare
cuius. ſtudio. modus. ſine. modo. eſt. regula. citra. regulam.
Te. igitur. laudando
Quid. me. puduerit. intemperantiæ?
Quis. laſciuiam. culpabit. meam?
Quis. effuſos. arguet. iocos?
Quando. Cælum. et. Sidera. tam. largè. ſe. tibi. feſtiuèque
effundunt?
Teſtatur. Nominis. Sanctitas
non. violata. ſed. variata
mutato. elementorum. ordine
OCTAVIVS. PELLETTA
COELI. ALVIT. PIETAS.



Horrida inhumanos homines Mæotica pauit
Ingenium Cæli terra imitata ſui.
Indignante, puto, Natura, infantibus offert
Expoſitis mammas furua leæna ſuas.
Nec licèt humanis veſcantur carnibus vſquè,
Eſſe queunt homines; queis fera lac tribuit.
Cœleſtem te hominem, Princeps, mirabimur? En te
COELI ALVIT PIETAS, lac Pietaſque dedit.

*Oratio.*

Cæleſtem . Hominem
V R A N I A
in . Cælum . efferam
ſuo . vt . in . lumine . ſpectentur
Princeps
tua . Merita
Tu . enim . is . es
Qui . auras . vitæ . mortalis . hauriens
Cæleſti . præpolles . eloquio .
In . Hominum . ſortem . editus. Diuinam . ſonas . facundiam:
planè . Vt . non . ab . Inferis . excitaſſe . Tullium
ſed . è . Cælo . deuocaſſe . Mercurium
credi . poſſis .
Non . ergo . immodica . de . tua . Oratione . laus . eſt
quam . refert . digeſtum . aliter
nomen
OCTAVIVS . PELLETTA
VICTVS. APELLES. A. TE

Quàm leuis eſt calamus, facilis quàm currere in albo
Cortice, quàm doctus pondera ferre manus!
Quàm benè ſenſa refers animi, quàm viua niteſcit
Prodita mens: in ſe tam benè non vegetat.
Ars hìc pictorum cedat: Nam VICTVS APELLES
Eſt A TE, penna peniculuſque tua.

Hiſto-

*Historia.*

Tuum
in. Historia. texenda. nitorem
non. satis. ego. POLYHYMNIA. decantauerim.
Nam. ita. bellè. stylum. temperas
vt. aliena. ex. vero. gesta. referas:
Ita. bellè. mores. tuos. moderaris
vt. viuum. in. te. alienæ. virtutis. exemplum. transferas.
Tu. aliorum. scribis. historiam
alijs. ipse. factus. historia.
Sed. hæc. vel. omni. carmine. digna. est
quæ. per. me. laudetur. historia
vel. nullo. carmine. laudari. dignè. potest
quæ. nullis. historiæ. voluminibus. claudi. potest.
Nomen. ipsum. integra. historia. est
cùm. referat
OCTAVIVS. PELLETTA
LIVIVS. LACTE. PATET.

Cùm narras, Pelletta, tulit quæ cana vetustas,
Tempora cùm relegis; dulcis es, & nitidus:
Magnanima Heroum memoras, Mauortia & ausa,
Dictaque cùm recitas; dulcis es, & nitidus:
Cùm variam Cæli faciem, subtractaque nobis
Littora depingis; dulcis es, & nitidus:
Dulcis es, & nitidus: Quisquis tua scripta reuoluit,
LIVIVS alter, ait, LACTE fluente PATET.

*Græca literatura.*

TERPSICHORE
ductabo . choreas
dignè . tibi . PELLETTA . vt . plaudam .
Iactatur . Iason . aurei . velleris . prædator .
Tu . Octaui . non . Colchos . sed . Athenas
ingenij . tui . acie . non . Medææ . astu
Auream . Literaturam
Memoriæ . felicis . Argonauta
sustulisti .
Latinas . consecutus . adoreas . Græcas . capessis
nequid . gloriæ . desit . tuæ
ad . Quem . ornandum
exterarum . Gentium . cultissimæ . conspirarunt .
Testis . est . Græcia
Tuo . quæ . nomine . gloriabunda . sic . ludit
OCTAVIVS . PELLETTA
TE . HELLAS . VOCE . PAVIT .

Græcus es in Latio, Octaui, sic crederis ore:
Vno namque refers, quod geris, os geminum.
Indicat oris honos natum tellure Latina,
Oris at Hellenem Græca fluenta sonant.
Te genuit Latium, TE HELLAS VOCE Attica PAVIT:
Vox quid amica valet? Græcus es in Latio.

*Principatus cum allusione ad Leonem in stemmate gentilitio salientem.*

EVTERPE
postrema. Musarum. plausus. absoluam.
Terminum. faciam. illius. laudationi
cuius. interminata. laus. est.
Finis. aliàs. coronet. opus
Nam. virtutibus. tuis. nullo. fine. laudandis
Corona. hic. traditur.
Nec. poterat. tantorum. meritorum. fieri. pulchrior
anacephalæosis,
quàm. vt. Palladinos. inter. adolescentes. lectissimus
Princeps. legerere
Qui. æquales. inter. ciues. audiebas
Princeps. Iuuentutis.
Quid. namque. tali. sub. capite. ausint. membra
ex. oraculo. accipimus
OCTAVIVS. PELLETTA
TOTAS. CVRAS. PELLITE.

En salit in solium Princeps Pelletta superbum:
TOTAS ò CVRAS PELLITE Palladij.
Sic salit in claro syluarum stemmate princeps
Fronte coronatus, sidera anhelus habens.
Non sæuus posthàc, sed sidus in Æthre sedebit:
Nec furet ore minax, sed fluet orbe micans.

*Mediolani apud Patres Ordinis nostri, renuntiato Guido Mazentæ Principi Academiæ, Elogia duodecim sunt exposita in laudem Gentilium, præmissa Dedicatione, & Clausula subiecta, cum Notis.*

*Dedicatio.*

GVIDO
MAZENTAE
Nobilitate. Generis
Indolis. Virtutis
Ter. Magno
Templum. recludit
Auita
MAGNANIMITAS
Regalibus
Egregiarum. Virtutum
COLVMNIS
Augustum.

*Elogium I.*

*Martini Mazentæ Fides ex Topazio.*

Surge. Fidens
Capitolina. Celsior
Ephesina. Nobilior
Moles.
Primam. sortiris. Columnam
FIDEM
cuius. occursu. Mens. ad. Religionem
colligatur. necesse. est.
Magnanimitatis
columen. eam. dicam. an
culmen?
Non. alius. Quàm

TOPAZIVS
ipsam. format. ac. firmat
rara. in. Orbe. Gemma. raram
Virtutem
augentem. inde. pretium. offerentis. se. se. in
MARTINO. MAZENTA
Qui. Syndicatu. suscepto
in. Magistros. Redituum. Ordinarios
quàm. rara. se. præstiterit. fide
fidem. facit
Io. Mariæ. Vicecomitis. Ducis. Mediolani
rari. Testimonium. exempli
eximias. eius. laudes. muneribus. amplissimis
vltrò. confirmantis
præconijs. præmia. cumulantis:
auctoritate. Oraculi. auctario. obsignata. nobilissimo.
Præfectis. adscriptus
Fabricæ. Templi. Maximi
dignus. inter. Gentiles. est. visus
qui. Templum. Magnanimitatis. fulciret
è. Topazio. Columnam. ostentans
Vnde. ingenuus. edilcat. Nepos
*Magnanimi. fidem. habere. qui. fidem. in. magnis*
*magnam. exhibet.*

---

*Notæ.*

*Magnanimitatis partem esse Fidem de facili suadet Cicero* 1. *Offic. dicens: Magnanimos volumus esse Veritatis amicos minimè fallaces.*

*Floruit Martinus Mazenta anno MCCCVIC. quo anno præfuisse memoratur Fabricæ Templi Maximi, Auctore Phaniano Histor. tom.* 5. *fol.* 190.

---

Elo-

*Elogium II.*
*Simonis Mazentæ Sapientia è Smaragdo.*

Succede
SMARAGDE
alteram. Templo. Columnam. facture
Suadet
SIMON. MAZENTA
oraculum. omnis. Sapientiæ
ad. miraculum
In. ipsa. penè. pubertate. Rector. Academiæ. Ticinensis
pares. humeros. tantæ. moli
Tantula. in. ætate. suppofuit.
Magnitudinem. in. pectusculo. prætulit. animi
Teneris. ex. artubus. Herculeas. mentis. exeruit. vires.
Protophysicus. Prouinciæ. Mediolanensis
Philippi M. Ducis. Vicecomitis. Consiliarius
consimilem. diuersis, in. studijs. consecutus. est
nominis. gloriam
illic. Corporibus. curandis. hic. Mentibus
Apollo. Mercurius
Planetis. iustiùs. quàm. Plantis. Auro. quàm. Lauro
coronandus.
Sed. virenti. contentus
SMARAGDO
quòd. hæc. oleo. immergi. gaudet. Gemma
plus. Olei. quàm. Vini
studiosum. Sapientiæ. adolescentem. insumpsisse
probans.
Adlectus. inter. capita. Generalis. Consilij
Reip. Mediolanensis
Delectus. ad. iurandam. Principi. nomine. publico. fidem
Octauum. Sapientibus. locum. adiunxit
Nepotem. inclytum. docens
*Inanem esse Sapientiam, quæ nullis vitæ vsibus inseruit.*

*Notæ.*

*Notæ.*

*Sapientiam Magnanimitati subijcit M. Tullius 1. Offic. dicens: Quæ videntur acerba, ita fert Magnanimus, vt nihil à statu Naturæ discedat, nihil à dignitate Sapientis.*

*Adlectus est autem Simon Mazenta inter Optimates constituentes Consilium Generale Mediol. Anno MCCCCXLVII. ex Hist. Phaniani. Adlegebantur verò, Auctore Corio, spectabiliores nobilitate, & diuitijs Ciues.*

*Elogium III.*
*Marci Mazentæ studium in Remp. ex Sapphiro.*

Perge. Fama
indicare. laudem. vindicare. ab. obliuione. immortalia
MARCI. MAZENTAE
merita.
Singularis. natu. Vir. Virtute. multiplex
Notus. omnibus. vt. qui. omnibus. Natus
Nothos. probans. quosque. Natos. sibi
Ignotos. Patriæ. Ingratos. Familiæ
cui. non. sine. fœnore
acceptam. nobilitatem. rependi
nobilitas. ipsa. poscit.
Propitiam. nactus. Fortunam
fortunas. omnes. ad. Remp. contulit
certante. cum. Fortuna. Virtute
Felici. tamen. prælio
quod. amica. inter. Numina. exarsit
quod. pacem. patriæ. conseruandam. intendit
quod, studiosum. Ciuem. fato. mortalitatis. subduxit
Digna. Templo. Magnanimitatis. Columna
EX. SAPPHIRO
Qui. humana. vegetat. et. conseruat. membra
clarus. visu. charus. vsu. et. pretio. lapis
Nulli. iustiùs. quàm. communis. felicitatis. Auctori
consecrandus
Nepotem. clarissimum. commonefaciens
*Pusilli esse animi Magnam concludere domi Fortunam.*

*Notæ.*

*Notae.*

*Magnanimum aliorum studiosum esse oportere, docet Aristot. lib. 1. Rhet. Cap. 9. Magnanimitas, aiens, est magnorum beneficiorum, effectiua virtus.*

*Hic Marcus Mazenta, & Ioannes frater ex Consilio Generali Reip. Mediol. an. MCCCCXLVII.*

*Elogium IV.*
*Guidi I. Mazentae Libertas orandi ex Chrysolito.*

Nusquam. liberior
concinit. Famae. buccina. quàm
IN. GVIDI. I. MAZENTAE
non. vltima. parte. Magnanimitatis. referenda
Sententiae. dicundae. libertate.
Auete. boni. Pauete. mali:
Vestrum. boni. lumen. adest:
Fulmen. mali. vestrum.
Hic. Artis. Medicae. simul. ac. Politicae. consultissimus
operam. vtramque. rogatus
Vicecomiti. Duci. Mediolanensi. egregiè. praestitit.
Morbis. mentium. seuerè. medens. et. corporum
publicam. ac. priuatam. valetudinem
ancipiti. curauit. felicitate:
Non. hìc. parcens. Ferro. Non. illìc. Ferrum. timens
Timendus. ipse. sermone. Consilio. aestimandus
Gratiam. meritus. Principum. Non. affectator. Gratiae
Amorem. omnium. Nullius. assentator.
Columnam. hunc. Templi. iudicabis. ex
CHRYSOLITO
ardentem. intra. venas. ignem. scintillis. excussis
pandente:
synceri. in. alios. amoris. et. studij
luculentissimo. testimonio
documentoque. Nepoti
*Magnanimum haud esse, qui sententiam rogatus timeri timet.*

*Notae.*

*Notæ.*

*Libertatem orandi ad Magnanimitatem ſpectare probat Philoſophus 4. Ethic. cap. 3. his verbis: Magnanimus dicit, & gerit palam omnia, ſiquidem id contemnentis eſt.*

*Hunc Guidum I. Mazentam electum cum illis fuiſſe, qui fidelitatem iurarent filio Galeatij Mariæ Sfortiæ, an. MCCCCLXIX. refert Phanianus Tom. 5. fol. 190.*

*Elogium V.*

*Guidi II. Mazentæ Conſilium è Sardio.*

Subit. Alter
GVIDVS. MAZENTA
non. alius. à. priore
etſi. ætate. ille. maior. Melior. hic. fortè. ſucceſſu:
Curriculum. idem. ingreſſus
iiſdem. relectis. veſtigijs
variam. metam. contigit. varios. plauſus. excitauit.
Orbi. Vrbi. Principi
Philoſophus. Medicus. Conſiliarius
Vnus. Trino. Trinus. Vni:
In. quo. maior. neſcias. In. quolibet. ſanè. maximus.
Orbem
Sapientiæ. radijs. illuſtrauit:
Vrbem
præſentiſſimis. curationibus: ſerenauit:
Principem. Ludouicum. Sfortiam
Saluberrimis. conſilijs. beauit.
Teſtis. eſt. inuidia. rebus. inhians. maximis
quæ. aurea. ſcripta. tanto. digna. ingenio
bellorum. turbinibus. abripuit.
Sed. vincit: inuidiam. Fama. ſuperſtes. ſcriptis
quæ. ore. multiplici. illuſtrium. Scriptorum. adhuc
perſonat.

Iureque. tanti. Viri. monumentum. in. Templo
Magnanimitatis. Columnam. ſtatuit
E. SARDIO. LAPIDE
Cuius. in. ſanandis. vulneribus. ferro. inflictis
mira. virtus. probatur.
Omnis. vt. Ætas. intelligat
quale. fuerit. in. eo. Viro. Conſilium
qui. vèl. deſperatis. temporum. vulneribus
remedium. attulit:
ſimul. vt. hìc. lectiſſimus. Nepos. legat
*Conſiliorum copiam è Scientiarum penu*
*depromi.*

---

*Notæ.*

*Conſilium Magnanimo tribuere videtur Diuus Thomas p. 2, q. 14. a. 4. docens, Non conſuli de rebus certis, aut minimis; ſed de incertis, & maximis.*

*Fuit Guidus II. Mazenta à Conſilijs Ludouico Sforti Duci Mediol. anno MCCCCLXXXIV. Auctoribus Syluatico, & Phaniano. Opulentiſſimus quoque ætatis ſuæ, ijſdem Auctoribus.*

*Io. Baptiſta Pius Bononienſis in Epiſt. huic Guido nuncupatoria ad Lucubrat. M. Varronis de lingua Lat. ipſum vocat Conſummatiſſimum, ac Integerrimum, Medicorum antiſtitem, Literatorum nobiliſſimum, Nobiliſſimorum ſapientiſſimum, &c.*

---

*Elo-*

*Elogium VI.*
*Ludouici Mazentæ Temperantia ex Iaspide.*

Ab. eius. quis, temperet. laude
cui. tam. profusè. suas. opes. congessit. Virtus?
Ab. opibus. Fortunæ. vti. temperet. Vir. ceterà
Fortunatissimus?
LVDOVICVS. MAZENTA
Hic. est
Virtutis. fœtus. monstrum. Fortunæ
vtraque. inclytus
vnius. quia. cultor. contemptor. alterius.
Aureo. in. seculo
ferreum. præ. se. tulit. inimicus. auri
Aurea. tantùm. virga. ferreos. Ciuitatis. animos. moderatus.
Testantur. literis. publicis. Decuriones. Cremonenses
Ludouicum
iam. Regium. Senatorem. ac. Prætorem. ipsorum. meritiss.
ad. iura. Ciuitatis. petentes
Ab. Rege. Hispano:
manus. ei. abstinentissimas. protestati.
Testatur. Rex. ipse
Præsidem. creans. extraordinariorum. redituum.
Sed. nemo. testis. illustrior. ipso. Ludouico
qui. pares. gentilitiæ. nobilitati. sortitus. diuitias
prodigere. plerasque. non. dubitat
vt. obsidente. Viennam. Turca
subsidium. ferat. Cæsari
Augusto. Principi. Magnanimus. Ciuis
Barbariæ. domitori. Triumphator. auaritiæ.
Quidni. Columna. in. Templo. surgat
EX. IASPIDE
Cuius. colore. sereni. Cæli. æmulo
Cælestis. Viri. Animus
à. terræ. sordib. auro. abhorrens. exprimatur?
confirmeturque. exemplo. oraculum. Horatianum. Nepoti
*Vilius Argentum esse Auro, Virtutibus Aurum.*

*Nota.*

*Magnanimo Temperantia congruit ex Arist. 4. Ethic. cap. 3. dicente — Magnanimus in diuitijs, & Magistratibus affectus erit quàm moderatissimè fieri possit.*

*Elogium VII.*

*Bernardini Mazentæ Virtus bellica ex Chalcedonio.*

Consimilis. in.
BERNARDINO. MAZENTA
Virtus. quæ
in. Ludouico
germana. in. germano. gloria
quamquàm. dispar
Alter. Temperantia. clarus. Robore. Martiali. alter
Pacatus. ille. hic. Bellicosus
Ambo. fallor. Bellicosi
Sed. vnus. Aurum. oppugnat. alter. Ferrum.
Aurum. ille. tamen. Karolo. V. Cæsari
hic. ferrum. suppeditat
omnique. auro. pretiosius. fidissimi. Ducis. pectus
ferreis. Scytharum. telis. obiectat.
Viennæ. Austriacæ. obsessæ
hostili. profuso. sanguine. victricem. irrigat. palmam
cæso. cum. multis. Tribuno. clarissimo. succidit
deferendam. Cæsari. ad. triumphum.
Noua. hinc. seges. gloriæ
Cæsarem. in. Hungariam. secutus
occupatis. hostem. arcibus. multis. deturbat:
oppugnatis. multis. prohibet
furentem. frustra
stratagemata. prælijs. artem. Marti. in. cassum
substituentem.
Quàm. bellè. Columnam. Templo. facit

Bella-

Bellatoris. inuicti
CHALCEDONIVS
omnibus. ſculpentium. argumentis
reſiſtens. Gemma?
Quàm. ſcitè. argumentum. ſumit
æmulus. virtutis. patriæ
GVIDVS. NEPOS
*Magnanimi eſſe Viri non tàm magna patrare quàm pati.*

*Notæ.*

*Non alienam eſſe à Magnanimitate virtutem bellicam liquet ex Diui Thomæ placito iungentis cum Magnanimitate Fortitudinem* 2. 2. q. 129. a. 6. *Cuius vtique Fortitudinis pars eſt Virtus bellica.*

*Elogium VIII.*

*Alexandri Mazentæ Charitas è Carbunculo.*

Inuideat
poſteritati. antiquitas
Italico. climati. Macedonicum
ALEXANDER. MAZENTA
hic. ſiſtitur
debita. Templo. Magnanimitatis
Columna
quia. Magnus. Alexander.
Lapidem. ſi. probas. Carbunculum. reperis
fulgentiſſimum. accenſiſſimum
Gemmam. Carbonem
Quid. magis. fulgidum. quàm
in. Ordine. Purpurato. Cleri. Mediolanenſis
Archidiaconi. pòſt. Archipresbyteri
illuſtrari. dignitate?

Quid.

Quid. magis. accensum. quàm
epidimia. grassante. vitam. pro. publica. salute
deuouere?
Iuris. vtriusque. peritissimus
lustrauit. ingenio. leges. illustrauit. exemplo.
Architectonicæ. consultissimus
æternæ. felicitatis. domicilium. fabricari. charitate. docuit.
Vèl. intra. sacrorum. cœnobiorum. recessus
Vicarius. Generalis. Sanctimonialium
Peruasit. calore. Penetrauit. lumine.
Sed. Heu
dum. lætus. ægris. ministrat. letho. corripitur
ereptus. Terris. Cœlo. assertus
E. Carbunculo. Sidus
E. Gemma. illucens. Stella;
Oculos. interim. rapiens. Guidi. Nepotis. ingènui
aures. monito. beans
*Clarum perbellè fore in Ciuitate, qui charitatis in Ciues ignem prætulerit.*

*Nota.*

*De Magnanimitate sic habet Aristoteles 4. Ethic. cap. 3. Magnanimus is est, qui & beneficia conferat, & pudore afficiatur; dum accipit. Magnis, & grauibus se obijcit Magnanimus, in quibus nec vitæ parcit; hoc ipso quod indignum sit omnino in hac vita manere. Quæ quidem charitatis vtique sunt munera. Quæ tota conferendis beneficijs intenta est etiam cum vitæ discrimine.*

Elo-

*Elogium IX.*

*Ludouici Mazentæ Abbatis Canon. Later. insignis Cœnobij Mediol. Magnificentia ex Lydio lapide.*

Tuam. quoque
LVDOVICE. MAZENTA. ABBAS
Magnanimitas. Magnificentiam
virtuti. germanæ. palmam. præbet:
Lydio. lapide. Aurum. probatur
Tibi. Lydius. Auro.
Euasurus. in. Templo. Magnanimitatis. Columna
Sacrorum. Templorum. Magnificentiam
ore. tuo. curas. et. ære
Testantur. pretiosæ. Imagines. Elogijs. illustratæ
in. Basilica. Mediolanensi. Canonicorum. Lateranensium
et. quod. nullo. satis. illustrari. Elogio. potest
Sacrosanctæ. Eucharistiæ. Cella
pretiosissimo. ex. lapide. ad. Attali. ostentum.
Illa. porrò
Peristyliorum. maiestas. atque. Hortorum. amœnitas
tuo. item. Marte. æreque. perfecta
tui. magnitudinem. animi. amœniùs. explicat
magnificentiùs. æternat:
Nobilem. ex. Lydio. Columnam
in. Templo. Magnanimitatis. consecrat
Nepote. admonito
*Magnanimorum exempla diuturniora esse lapideis tabulis Elogia.*

*Notæ.*

*Magnificentiam germanam esse Magnanimitatis, atque inde vt ex fonte manare, ipsum probat ethymon nominis.*

*Elogium X.*

*Io: Ambrosij Mazentæ Securitas animi ex Porphyrite.*

Habes. Patria. Gratiarum. parentem. Musarum. amorem
Heroum. ambrosiam
IO. AMBROSIVM. MAZENTAM
sui. præsidium. nominis. ac. dulce. decus.
Hic. Virtute. opulentus. Honore. diues
immotam. à. Fortuna. securam. à. Casu. Columnam
EX. PORPHYRITE
in. Templo. Magnanimitatis. extollit.
Laurea. donatus. V. Iuris. Iure. Collegij. Mediol. potitus
Equitibus. Hierosolymitanis. adscribitur
Bello. quàm. pace. pacatior
Sago. quàm. Toga. securior.
Clericus. Regularis. S. Pauli. authoratus
Hostem. mutat. non. fugit
Gladium. Cruci. Vexillo. Arma. coniungens.
Omnibus. honorum. pressis. gradibus. in. fastigio. sedet
Præsul. Ordinis. Maximus. initiatus
A. flatibus. iactantiæ. A. fulminibus. inuidiæ. in. monte. tutior
Literaturæ. omnis. peritia
præsertim. Geometriæ. Arithmeticæ. Historiæ.
Grande. Sophos. promeritus
apud. Summos. Pontifices. in. delicijs. habetur:
Honore. cum. Virtute. luctante.
A. Clemente. VIII. in. recognoscendis. Ferrariæ. finibus.
A. Paulo. V. Vrbano. VIII. Summ. Pontiff.
A. Ferdinando. I. Magno. Etruriæ. Duce
in. architectandis. fabricis. adscitus
A. Ferdinando. Card. Infante. Hispan.
in. Legatione. ad. Margaritam. Sabaudiæ. Ducem. electus
Omnibus. omnia. Idem. sibi
vno. semper. vultus. tenore. facilitate. aspectus
maiestate. oris. eadem
Magnanimus. Magnanimum
Patruus. magnus. Nepotem. fratris. erudiens
*Heroicæ. Virtuti. vèl. inuitam. Fortunam. obsequi.*

*Notæ.*

*Notæ.*

*Securitatem animi apertè concedit Magnanimo D. Thomas, quòd quiete quadam fruatur à perturbatione timoris, seu quòd remoueat curam euadendi ea, quæ timentur. Ita fere 2. 2. q. 129. a. 7.*

*Elogium XI.*

*Guidi Antonij Mazentæ Fiducia ex Achate.*

Tollitur
excelsa. mole. speciosa. materiè. superba. opificio
Columna. ex. Achate
GVIDO-ANTONIO. MAZENTA
subeunte.
Hic. Magnanimitatis. numeros. impleturus
Fiduciam. profert. animi
ac. certaturus. certamen. gloriæ
copias. explicat. tot. diuisas. in. agmina
quot. sua. sibi. Virtus. peperit. ornamenta.
quot. suggessit
inita. cum. Familiarum. nobilissimis. affinitas.
Ipse. Iuris. Consultus. ex. Collegio. Mediol.
Consul. Iustitiæ. Annonæ. Præfectus
Ipse. e. LX. Decurionibus. Vrbis. E. XII. Vir. Prouisoribus
è. IV. Vir. Generalib. Vicarijs. Prouinciæ. Mediol.
ipsis. dignior. Dignitatib. extitit.
Sed. Familiæ
Triuultia. Sorbellona. Sfondrata. Barbauaria
Montia. Stampa. Arconata
Raynolda. Castilionæa. Ruscha. Rhaudensis
cum. Mazentia. copulatæ
Non. tam. credidere. quàm. accepere. splendorem.
Accessere. in. Victoriæ. subsidium
multiplices. Dynastarum. necessitudines
In. his. Io. Fernandei. Velaschij. Castellæ. Comestabilis
Innici. eius. Filij

Philippi. III. Regis. Hisp. Margaritæ. ab. Austria. Reginæ
quos. apud. quantò. magis. merita
tantò. gratiosa. Gens
Achate. versicolore. amœnior, ac. pretiosior.
Ecquot. Nepotis. decora?
Documentum. vnum. pro. multis
*Variam Virtutis lucem Varia Nobilitatis vmbra*
*consequitur.*

*Nota.*

*Fiducia ita est Magnanimo propria, vt peculiarem super hac re disputationem instituat Diuus Tho. 2.2.q. 129. a. 6.*

*Elogium XII.*

*Ludouici Mazentæ, Contemptus Mundi ex Onyce.*

LVDOVICVS. MAZENTA
Iuris-Consultus. è. Collegio. Mediolanensi
Guidi. Infocatorum. Principis. Patet.
Iam. siste. Magnanimitas
Apicem. tangis
sublimique. vertice. feris. sidera.
Humanis. hic. homo. maior. quia. humanorum. despector
Terrenus. victu. vita. Æthereus
Inter. opes. inops. ope. Diuina. contentus
In. mensa. ieiunus. In. thoro. cælebs. In. foro. solitarius
ex. ONYCE. Columna
Adeo. inter. sordes. et. fæces. terrenæ. conditionis
cælestem. obijcit. animi. candorem.
Laurem. Iuris. capessenti
applaudunt. carmine. summa. Italiæ. ingenia
è. quibus. illæ. Apollinis. deliciæ
Paul. Bellonus. Cæsar. & M. Antonius. Montij
Octauianus. Picenardus

auspi-

auspicio. Causarum. bono.
Causas. quippe. neglecturus. erat. alienas
de. sua. apud. Numen. solicitus.
Collegij. Mediolanensis. iura. consecutus
Honoribus. summis. perfungitur. vt. oneribus
Onera. impartiens. vitæ. Honores. morti
quos. acerbè. absumptus. obtinet
sanctitudinis. fama. celebratus:
gratioresque. Musis. sortitus. Præficas.
Ingenia. hominum. Genijs. permutat. Cælestibus
ad. amœniorem. Parnassum. euectus
Laurea. Beatitatis. decorandus.
Magnanimum. interea. Filium. prouocat. documento
*Neminem in paruo Magnum*
*Terrenisque contentum, Pusillanimum dici melius, quàm*
*Magnanimum.*

*Nota.*

*Contemptu Mundi nihil dignius esse Magnanimo, docet sententia illustri Plotinus Philosophus Platonicus: Magnanimitas (inquit) rerum mortalium est contemptus. lib. VI. Enneadis I.*

*Clausula.*

GVIDVS. M'AZENTA
Virtute. veteri
Dignitate. recenti
PRINCEPS. INFOCATORVM
Magnanimus
Per. Virtutis. Templum. ad. Honoris
sibi. aditum. struit
Hodierna. Magistratuum. instauratione
patefactum.

*Eiusdem Academiæ nomine editi sunt Plausus in laurea Gasparis Fachineti, præludente hoc Titulo.*

CORONA. GEMINA
SIDEREA. QVERNA
Gaspari. Fachineto
Philosopho. emerito
A. Collegis. Academicis. Infocatis
dedicata
decerpto. è. Stemmate. Gentis
coronamento
auspicijs. felicissimis. Serenissimi
VLADISLAI. IV. POLONIAE
Regis. Potentiss.

*Fachinetæ Gentis stemma exhibet Stellam Quercui impendentem*
*NVNCVPATIO.*

Accipe
GASPAR. FACHINETE
Generose. Inuicte. Inclyte
Quæ. Tibi
Philosophicum. puluerem. colligenti
Metamque. sapientiæ. feliciter. præteruolanti
Communis
attollitur. acclamatio
excitatur. plausus
ingeminatur. Pæan.
Viden'? vt. affuit
Theatrum. idem. et. Spectator
Orbis. Vniuersus
Gentilitij. Tui. Stemmatis. libello. prouocatus?
En. vt. certatim
CAELVM. AC. TERRA
Admirabunda. Gratulabunda
Coronas. mittunt
Victricibus. tuis. Temporibus
consecrandas.

Auspi-

*Auspicium.*

Certasti victor. Certat Tellusque Polusque,
Serta Triumphanti quis magè digna ferat.
Aspice, quæ summo splendent vaga sidera Cælo,
Quæque ferit surgens Sidera Quercus Humi.
Hoc geminum gemino Sertum constabit honore:
Gloria digna Polo te manet, æqua solo.

CORONAM. SIDEREAM
VRANIA
Cælestium. indagatrix
septem. Planetis. intexit.

*Vraniæ ad Gasparem Fachinetum.*
*DISTICHON.*

Hocce Tuis, Fachinete, dico Diadema Triumphis:
Nobilior claudi Sidere Gemma nequit.

*In Saturno Morum grauitas illustratur.*
*DODECASTICHON.*

Aurea cuius ope illuxit mortalibus Ætas,
Grandæuus niueum condit in axe caput.
Et bene. qui tantum terris homo profuit: Astris
Fert requieturus languida membra Deus.
Sed iam maiora ostentat miracula Tellus
Inuidia veterum digna, & honore Deum.
Canitiem impuber præfert, iuuenisque senectam,
Et sociat motus cum grauitate leues.
Consilij satur est, annis ieiunus, acerba
Maturis ætas fructibus alma viget.
Quid ni Saturnus iuueni caput ornet ab Æthre,
Vt niteat Sidus, mens vbi Dia nitet?

*In Ioue Pietatis cultus elucet cum allusione ad Stemma Gentilitium.*
HEXASTICHON.

Seu mentem intendis rebus (sic Stemmate præfers)
Sideris Ætherios proteris instar agros.
Seu corpus curas, vitæ sensusque ministros,
Culmine ceu Quercus sidera celsa petis.
Numinis ò dignus fœtus: te prædicat Orbi
Quercus adesse Hominem: Sidus adesse Deum.

*In Marte Fortitudo radiat cum allusione ad Quercum Gentis Fachinetæ, & ad Stemma Prussicum Serenis s. Regis Vladislai, vbi Aquila ferrum distringit.*
OCTOSTICHON.

Quæ stabili surgit, Boreæ inconcussa frementi
Stipite, firma suo nomine, Sylua minax:
Hæc te vel teneris robustum ostendit in annis
Fatidica, & recinit te iuuenem esse virum.
Regius ista potest Heros miracula ferre,
Regia quem fortem Stemmata Marte canunt.
Quid? iuuenem mirere virum? maiora stupebis:
Bruta viros fieri, bellaque ferre viris.

*In Sole Ingenium coruscat. cum allusione ad Solem Podoliacum Serenis s. Regis, atque ad Sidus Gentis Fachinetæ.*
HEXASTICHON.

Quidquid in Aonidum patuit mihi tramitis aulam,
Quidquid Apollineæ lucis adesse vides:
Hoc fert acceptum tibi mens mea, Regie Princeps,
Hoc iubar ex isto cedere Sole canit.
An trepidet? fugiat Solis mea Stella nitores?
Præco est hæc Solis nuncia grata sui.

In

MAVORS In Vethere comitas fulget.

HEXASTICHON.

Dum ruis ad pugnas sapientum in Sole ciendas,
 Te Mauors socium poscit habere suum:
Dum petis vmbrosas fessus certare latebras,
 Te comitem comis plaudit adesse Venus.
Est sua cuique Venus Marti: Bellator vterque est:
 Mars vibrat à manibus fulmina: ab ore Venus.

In Mercurio eloquentia fulgurat.

HEXASTICHON.

Quàm benè declamas, scitè quàm disseris? Hermes
 Ad metam ambigui fecit honoris iter.
Si Stagirita suis, Ciceroue lacesseret armis:
 Scis pressa, aut patula belligerare manu.
Numinis hæc laus, non hominis, ni vtriusque vocanda est:
 Non Deus ista solet, non homo tanta potest.

In Luna dimissio sui cum eminentia eruditionis collucet.

DECASTICHON.

Cum agnominatione in voce

LVNA

NVLLA VNA

Ipsa quoque extremo radians argentea in orbe
 Serta tibi ditat lumine Luna suo.
In paruo grandis, miracula claudit in arcto:
 Et potis est ludens vincere laude polum.
Crescat plena polo, Terris iam Nulla videtur;
 Decrescat, solis Sol velut, Vna nitet.
Decrementa simul Luna, incrementaq; sumit
 Crescens, Decrescens, Nullaq; & Vna simul.
Vnus es ingenio, Gaspar; vis Nullus haberi?
 Gaspar at hoc Nullo Tu magis Vnus eris.



## CORONAM QVERNAM CALLIOPE

*Heroum Buccinatrix varijs exornat floribus.*

*Calliope ad Fachinetum.*

### TETRASTICHON.

Ecce tibi vario florum distincta nitore
Æmula Sidereæ Querna Corona datur.
Astra micant & humi, flores & in Æthere vernant:
Astro sic vernat, Flore Corona micat.

*In Viola Quercui inserpente festinata sapientia expingitur.*

### OCTOSTICHON.

En Ver præproperum: nondum pubescit aprico
Gramine: iam Violas Dædala iactat humus.
Quid Ver? præpropera incumbit dis frugibus Æstas:
Glandibus hic teneris Quercus onusta viret.
Flos simul hic fructum, florem fructusque ministrat,
Lucescuntque vno tempora Sole duo.
Hæc merito te serta manent, flos inclyte Gentis:
Florida namque alijs, sunt ea fœta tibi.

*In Lauro intexta Quercui Triumphus ex certamine Philosophico celebratur.*

### HEXASTICHON.

Accipe quæ fronti frons intertexta sacratur
Veris honor placidi Laurea, Roborea.
Non peritura tui sint hæc monumenta Triumphi:
Prælia gesta recens Mars, & Apollo canant.
Dignum belligero Quercus, Laurusque Trophæum:
Flamina dira secans, Fulmina dura fugans.

*In Rosa Quercui conserta Pudicitia Laureati commendatur.*

DECASTICHON.

Hunc tibi sacramus, Gaspar, de Robore ramum,
Ludit vbi in viridi lutea fronde Rosa.
Robora delicijs nubunt, Venus atque Tonanti,
Mollia scit ferro membra onerare Charis.
Conditio nec iniqua. Notum luctata repulsat
Quercus: odore Rosæ mox Scarabæus obit.
Vtraque belligeri captat sibi Martis honores.
Non mollis: Verum (ô discite) fortis Amor.
Fortis Amor mollem refugit, nec cedit Amori:
Credis & hoc blando pectus amore capi?

*In Lilio Quercui implicato candor morum exponitur.*

DECASTICHON.

Lilium adest Rex. Quercus adest Regina iugalis.
Hæc syluis, Hortis imperat ille potens.
Imperij hæc quondam fecit, testante Sabino
Regibus auspicium, Cæsaribusque ratum.
Aurea cùm flueret quondam mortalibus Ætas,
Præbuit hæc dulces splendida fruge dapes.
Hunc inflexa petens Regalia tempora vittis
Lilia floriferis cana ferenda legit.
Aurea ne Ciuis querulus iam Regna fatiges:
Si redeat, redeunt, candida vita Viris.

*Coronis Coronæ geminæ Sidereæ, & Quernæ.*

OCTOSTICHON.

Gaspar, adumbrauit quàm belle Stemma Theatrum,
Stemma tuæ auspicium laudis, honoris honor!
Sidere spectator, Quercuque Athleta refertur,
Non vidit similes Orbis in Vrbe viros.
Ter Boreæ incursum spectans te fortè tulisse,
Constitit attonitum Sidus in Æthre vagum.
Ergo quousque comam sursum dabit ardua Quercus,
Astraque fulgebunt, hæc tua Serta manent.

GENIO
GASPARIS. FACHINETI
QVI
florem. adolescentiæ. in. Musæo. Alexandrino
consecratum
ad. Philosophiæ. fructum. præcoci. maturitate. perduxit.
Ter. felix
Alumnus. Palladis
Delicium. Musarum
Amor. Charitum
proclamatus
In. puluere. Phœbeo. Mars
In. Martiali. Phœbus
Spectatus. Probatus
Conserta. de. suo. Corona
SIDEREA. QVERNA
redimitus
sua. contentus. Virtute
alienæ. laudis. non. indigens
nobilissimo. est. Triumpho. in. Capitolium. Æternitatis
deuectus
ACADEMIA. INFOCATORVM
inclyti. Collegæ. meritis
gloriosa
Trophæum. H. P.
M. D. C. X. X. X. V. I. I.

*Anno labentis seculi simul & ætatis nostræ xxxv. iussi fuimus Mediolani per Moderatores nostros adornare Theatrum literarium, & quidem geminum, recipiendo quàm honorificè Cæsari Montio Cardinali Sedem Archiepiscopalem ineunti. Alterum quidem patuit Theatrum in Templo nostro Diui Alexandri Thebei, eius Vrbis in paucis magnifico, explicatis ex decoro loci titulis sacrarum Dignitatum in ipso Cæsare conspicuis. Alterum verò in ædibus continentis Academiæ. Vtriusque inuentum & rationem mox ordine aperiemus. Porrò his Theatris eò locus exposcitur inter Epigraphas, quòd bonam partem constet ex ijs, & quidem Encomiasticis; quamquàm & Carmina simul, & Symbola, & Emblemata, & Apophthegmata admittant, parerga tamen ad pompam. Iam accipe titulum*

THEATRVM. TEMPORANEVM
AETERNITATI
CAESARIS. MONTII
S.R.E. CARD. ET. ARCHIEP. MEDIOL.
SACRVM

*Præmonendus es, lector, ne Theatrum hoc geminum, nostri partum ingenij credas potiùs, quàm abortum. Quandoquidem si minùs intra diem quadragesimum (vt in humanis) enitendum nobis fuit; certè (quod ferè idem est) intra alterū mensem. Cui quasi puerperio aspirando ærumnæ illæ fatales accesserunt, Magisterij negotium haud interpellati in publico Gymnasio; cura in Amanuenses, in Pictores, in Operas; calores æstatem illam (nam æstate demandata prouincia) intemperantiùs obtinentes; Ad hæc appendix quàm molestissima loci, vbi Musis vacandum, peranguști, eiusque in Cœnaculo; atque solis percussui diu, repercussui noctu patentis. Hæc verò omnia in corpus obnoxium, quale nostrum in iuuenta fuit, coniurantia; ecquem pollicerentur fœtum ingenij dignum luce? Qualis qualis tamen tùm visus fuit, hic tibi restituitur.*

Theatri campus, & OEconomia.

*Eminet recentis operæ Templum Alexandrinum, deleto vetere, in meditullio vrbis amplissimæ, præcelsum situ, vastitate visendum, structurâ singulare: AEmulum Vaticani miraculi, si opificium spectes: si figuram, Solymæ cælestis. Quippe Diuorum simul vniuersi-*

 *uersi-*

*uersitati dicatum, in quadrum surgit. Area frontem exornans, tùm amplitudine sua, tùm plurium concursu viarum, magnificentissimum Templo vestibulum aperit. Frons ipsa ternis ianuis ab Areæ solo per gradus extantibus penetralia recludit Templi. Ea hodie non nisi ad primam coronicem absoluta visitur. Ceterùm insignis ille parastatarum tractus cum columnis striatis, ædiculis, fenestrisque marmoreis ordine Corynthio colludentibus; & geminæ præterea turres hinc, inde ad latera ex fundamentis vsque nascentes, inuariatoque tenore, at validiore forma à cursu reliquo prominentes eam exhibent speciem, ac maiestatem; vt, cùm fauentibus Diuis & turres marmoribus instructæ erexerint se se in fastigium supra ordinem alterum, & Templi testudo maxima, ipsas supergressa turres, immane iugum extulerit, nihil vltrà futurum sit, quod ad ostentationem artis, ac sumptus magnificentiam desideretur. Mediam verò portam & eam maximam subeunti offertur stupenti oculo quadratæ Cellæ vastitas decussatæ, seu (vt aiunt) in Crucis formam se se pandentis: pilis quaternis insanæ molis ita distinguentibus aream, vt angulos exprimant Crucis. Singulæ columnas teretes binas ostentant ex porphyrite (quod aiunt) Italico, stylobatis marmoreis impositas candicantibus, & maculosis: quarum capitulis coronæ nituntur ingentis proiecturæ, Templum omne ambientes: atque his fornices maximi in quadrangulum circumducti, vt summam testudinem, tholumque suffulciant. In conspectu est Ara maxima, iugum crucis designans: ad cornua dextrum, læuumque æqualis amplitudinis Aræ duæ: hæc Diuæ Virgini, illa Iosepho Sponso sacra, iisdem sub fornicibus ambæ conditæ. Sed à tergo pilæ singulatim ad oppositos parietis angulos, fornices alij minores cum media camera sic protenduntur, vt, quaquauersùm tetenderis, procurrat porticus ad longum oculi coniectum: &, quod omnem superat artis industriam, vbique Sacello terminetur prospectus, præterquàm in valuis, quæ Templi aditum instar Basilicæ duabus instructæ alis patefaciunt. Ità, quod inter minores fornices in interiori parietis curuatura excurrit spatium, Sacellis aperitur per ædes maximè capaces dispositis. Infra fornices ædiculæ cameratæ vtrinque patent ad sacras Confessiones, structura quidem, & magnitudine reliquo molis haud absimili. Sed non ea mens est exactè singula persequi. Sicut enim manus alias hæc AEdes expectat, quibus absoluatur; sic, vt digno*



gno

*gno describatur charactere, longè aliud exposcit ingenium. Sat fuerit ad rem præsentem ipsius Aream, positionem, ichnographiam, membraque præcipua retulisse, quæ Theatro Montio campum aperuere. Siquidem ædibus nostris nondum ritè extructis, vt nullus idcirco, siue intra illarum septa, siue etiam in continente Gymnasio suppetere locus videretur tantæ capax Amplitudinis (qui enim vel publici Penates Montem capiant?) subiuit Patribus Templum ipsum destinare, perquàm idoneum ratis, in loco sacro sacratum laudare Virum, & Montis vastitatem, quàm vastissimo possent, sinu complecti. Loci igitur ratio non tam suasit, quàm adegit ad opus quadripartitum excitandum, vtque præpostero ordine argumentum theatro, non theatrum argumento seruiret. Tametsi in sylua frequenti facilè prompta est quibusuis machinis opportuna materies. Ac tùm quidem oblata sunt clariora ea nomina sacrarum Dignitatum in Cæsare Montio, Nuntiatura, Patriarchatus, Purpura Vaticana, Archiepiscopatus: Quæ tamen quò spectarentur iucundiùs, producenda fuerant allegorica specie veluti personata. Neque diù venanda conceptio. Ipsum Cæsaris nomen (credo, ætate nostra veterem prouocante) Virgilianum illud suggessit*

Nocte pluit tota: redeunt spectacula mane:
Diuisum imperium cum Ioue Cæsar habet.

*Sed & asserta Iouis commemoratio insinuauit de facili Tempestates Anni varias, quas commentitius hic Cæli atque Aëris Regnator suis nutibus vicissim efficit. Consensere bellissimè cum Tempestatibus ipsis Dignitates. Numerus vtrinque par, consonantesque numeri; Nuntiatura Veri, Patriarchatu AEstati, Autumno Purpura, Hyemi Archiepiscopatu respondente. Age iam. Intranti Templum occurrebat ad dexteram in proximo angulo Ver: In subsequente AEstas: In aduerso Autumnus: Tandem Hyems in quarto. Prima siquidem Nuntiatura fuit, Patriarchatus alter: cui licet ordine inaugurationis successerit proximè Archiepiscopatus; deinde Purpura; Cardinalem tamen priùs audiuit Ciuitas, quàm sensit Antistitem. Ita verò digestæ in Theatro sedes rerum. Ad Aram maximam (quoniam is est primus prospectus) erigebatur in sublime Dedicatio Theatri ex Disticho illo Virgiliano fere expressa. Ipsam Virtus & Tempus; duo signa Colossica ære superfusa gestabant. Supernè stemma familiæ Montiæ, infernè interpres Distichi*

*Elo-*

*Elogium pendebat. Symbola sub basibus vtrique signorum congruentia. Sed Tempestatum singularum vna methodus. Surgebat in fronte pilæ Colosseum signum sub ære, medium inter columnas teretes (Tempestatis hic typus erat) insigne Dignitatis dextera protendens manu, læua natiuum. Disticho inscribebatur ad Virgilianum item alludente. Coronidem faciebat Emblema, figuram exhibens ex ipsa Tempestate quæsitam, cum subiecto carmine. Cæterùm Pila lusu vario poëseos, ac picturæ circùm distinguebatur in fronte. Inter hos tria Academica symbola (sic placet appellare, quas nonnulli Impresias) tria inquam symbola Academica mensibus totidem conuenientia Tempestatum. Hæc generatim, & ad Cellæ ornatum. A tergo igitur Pilæ, vbi porticus perpetuo tractu Templum ambit, sedes Confessionum, quas diximus, auleis subtractæ, præbuere campum quaterniis per Dignitates Virtutibus ex numero hebdomadarum, quibus ferè constat Mensis; Epigrapha desuper ex anteriore fornice imminente. Ordo verò sigillatim huiusmodi. Ad AEdiculæ fornicem typùs Virtutis in tabula medium tenebat spatium. Consonabat subiectum Symbolum, figura Tempestatem decente. Ad perpendiculum Herma, seu statua pectore tenus, imaginem referens ex Montijs gentilibus, propositæ Virtutis gloria, Viri conspicui. Stylobatæ innitebatur, in quo incisum Elogium. Denique in tabellis hinc atque illinc Epigrammata varia, laudem producti Viri, atque Virtutis perstringentia, cum allusione ad Cæsarem. Ita Virtutis facies non tam pigmentis, & fabulis efficta, quàm effecta exemplis & rebus gestis viua pene ac spirans Cæsari plaudebat. Eminebat vacuum sub maximis fornicibus: quod, cùm Montiæ molis fastigium excederet, occupatum est pensilibus Epigraphis in omnes simul symbolicas Tempestates: præterquàm supra Aram maximam, ne theatri facies turbaretur. Sed & frons Templi postica, quæ Aram ipsam è regione respicit, locum fecit auspicijs summi Pontificatus, quæ post exactas quatuor summas Dignitates opportunè consequebantur. Nos verò, vt vsuuenirent, vota & preces adiunximus; non quidem ancipites de exitu, sed de celeritate soliciti: Ni denique Parca abnuisset. Atque hæc esto Theatri totius Apographe. Templi verò anticam frontem ornabat in superliminari portæ maximæ Stemma Montium Vaticano pileo, Patriarchali Cruce insignitum, cum subiecto hoc Inuitamento ad Cæsarem.*

TIBI

TIBI
CAESAR. MONTIE
Card. & Præsul
DIVI. ALEXANDRI
Thebææ. Legionis. Signiferi
patescit. Templum
ingredere
Eminentissimo. Monti
assurgit. augusta. moles
Magno. Cæsari
magnus. occurrit. Alexander
Signifer. Imperatori
Patronus. Patri
Diuus. Antistiti
Sed. et. Clerici. Regulares
alumni. Apostoli. Pauli
Coapostoli. Petri. successorem
consalutant. ominantur
gratulantur.

*Valuis introrsùm adhuc rudibus antepagmentum fecere bina Epigrammata; alterum ad Clericos Reg. S. Pauli, qui Cæsarem subeuntem effusi hinc, inde in ordines exceperùnt. Erat autem huiusmodi.*

Paulina ò soboles, niueis tege tempora vittis:
Vernent fronte rubris lilia mixta rosis.
Sacratum croceus distinguat limen achantus,
Grataque per Zephyros naribus aura fluat.
Vndique Mæonio plectro circumsonet ædes,
Iungantur choreis carmina: Montus adest.
Montus adest? radiant blandam, ò, quæ lumina frontem?
In terris, demum credite, Apollo stetit.

*Alterum*

*Alterum verò Epigramma ad AEdem ipsam testudine maxima defectam, cum enumeratione quatuor Dignitatum in Cæsare Montio, & auspicio summi Pontificatus, sic habebat:*

Quantus, io, sacrata terit penetralia Princeps!
Quantus ab ambrosio fulgurat ore nitor!
Hic summo ad summos LEGATVR Præsule Reges:
Hunc PATREM Sacrorum Antiochia colit.
Huius ab augustis effulget PVRPVRA gestis:
INSVBRICA & redimit summa TIARA caput.
Sustulit iste iugum citò MONS tacturus Olympum:
Heus, Templum, quid agis? tu quoque tolle caput.

*Ingresso Cæsari circumstetere frequenti corona Patres Alexandrini, animorum communem lætitiam viuis in ore nutibus præferentes. Omnium verò vnus interpres, Autor Theatri sic Hospitē salutauit.*

*Iucundusnè magis, an inopinatus sit nobis aduentus tuus, Eminentissime Princeps, quis facile in præsens dijudicet? Sanè inter se bellè sic certant & communis lætitia Ordinis nostri, & oris istius fulgore pleni Maiestas; vt nec beatius illa quidquam, nec augustius ista offerri posse videatur. Quid enim ad exemplum rarius, ad spectaculum admirabilius, quàm tantum Principem, minimæ sodalitatis AEdem tanta cum facilitate subire? Inter Eminentissimos Patres MONTEM editissimum? Inter columina Christiani Imperij ipsum CAESAREM? Maius quidpiam dico: Recurrere seculum vetus Thaumaturgi Patris: vt, non dicam ad preces nostras, sed ad nutus, MONS iste non modò è sede promptissimus moueatur; sed & suæ vastitatem molis intra hanc parietum angustam definitionem contractam inuehat? Tametsi eò patentiorem campum in pectoribus singulorum reperias, quò spatium AEdis angustius. Vide, quemadmodum hocce miraculo, miraculum alterum prouocetur. En tibi, Cæsar, communicato ( vt ita loquar ) ab Ioue Imperio, occurrere tributarias quatuor ipsas Anni Tempestates, æternitatem nominis, Imperium*

*perium Orbis summum deferentes. Quare cùm nulla mortalis hominis oratio exæquare Diuinas tuas virtutes possit, accipe, quæ Cælum ipsum disertissimis, quamquam mutis ad sonum, vocibus splendidè in Te, ac luculenter effundit.*

*Dedicatio Theatri, seu Propositio generica per Distichon.*

ANNVS.LAETA.TVAE.PRAEBET.SPECTACVLA.VITAE
COMMVNE.IMPERIVM.CVM.IOVE.CAESAR.HABES.

*Deinde per solutam Epigraphen.*

CAESARI. MONTIO
PATRITIO. MEDIOLANENSI
Præsuli. ac. Principi. Opt. Eminentiss.
Alexandrinum. Templum. honoris. gratia
subeunti
Clerici. Regul. S. Pauli
prisca. in. Ordinem. merita. recolentes
noua. gratulantes. ornamenta
Orbis. Christiani. deprecantes. Imperium
ANNALE. THEATRVM
explicant
Vt. qui. omnium. Temporum. decora
in. Se. collegit
Omnium. Anni. Temporum
plausus. excipiat.

*Libet hoc loco Elogia tria subtexere Tempestatibus quaternis communia, quae & interstitia implebant imaginum ipsarum priusquam ad singulas accedamus.*

*Elogium I.*

ASPICE
Quisquis. ades. et. suspice
CAESARE. MONTIO
veniente
concordare. discordes. temporum. genios
natiua. conciliari. odia
MIRANDO. FOEDERE
Æstuare. Hyemem. Hyemare. Æstatem
Vernare. Autumnum. Autumnare. Ver
EX. GELV. AC. NIVIBVS
tepere. Cælum. ridere. prata. lætari. segetes
Flores. Fructibus. Fructus. Floribus
colludere
Omnia. Vnum. Vnum. Omnia
esse. Tempora
Vnum. Omnium. largiri. dona
Ecquis
non. felicius. fateatur
CAESARIS. quàm. IOVIS
Imperium?

*Elogium II.*

Quod
Omnes. Anni. AEtates
consentientes. in. vnum. cernis
ne. mirere. Spectator
CAESAREM. MONTIVM
æmulantur
in. quem. honestandum
omnia. AEtatum. ornamenta
conspirant.
Habes. hìc. non. Arehimedis. ingenio
Sed. Cæli. clementia
elaboratum. Orbis. compendium
Viuum. non. Vitreum
Solidum. non. Stolidum
Agile. non. Fragile
Ad. Orbis. eiusdem
spectaculum
Ad. AEtatis. Omnis
miraculum.

*Elogium III.*

TE
Tibi. ostendimus
CAESAR. MONTIE
non. humana. expressum. arte
aut. fuco. mentitis. coloribus
sed. sanctis. Naturæ. lineamentis
COLLECTO
quidquid. ipsa. latè. in. Anni. tabula
Aureo. Lucis. Penicillo
Siue. adumbrat. in. Vere
Siue. colorat. in. AEstate
Siue. clarat. in. Autumno
Siue. obscurat. in. Hyeme

Alia . laudum . Pigmenta
Figmenta . sunt .
Suis . de . Cælo . nitent . coloribus
M O N T E S
Quà . Radijs . inaurantur
Quà . Tenebris . caligant
Quà . Niue . candicant
Quà . Gramine . virescunt .
Aliena . expingi . manu
nefas . est
Quibus . Apelles . suus
Apollo . est

---

*Succedunt singulæ deinceps Tempestates . Et primum Ver , cuius schema extulit Distichon propositionem continens huius membri , videlicet*

VER . VIOLIS . RIDENS . TIBI , NVNTIE . SPARGIT . AMICTVM .
COMMVNE . IMPERIVM . CVM . IOVE . CAESAR . HABES .

*Cui subiectum stabat Ver Colossum , specie muliebri in stola violis conspersa ; læua floribus varijs cornu plenum gestans , dextera porrigens sacram exomidem violaceam Insigne recentis Nuntiaturæ , cum Epigrapha in Stylobate .*

---

V E R
N V N T I A T V R A E
T Y P V S .

---

*Porrò generatim in Nuntiaturam lusimus , Emblemate primùm , tùm Symbolis tribus numero mensium huius Tempestatis respondentibus , demum Epigrammatis nonnullis .*

---

Nun-

Nuntiatura generatim Emblema.

*Cadauer Principis Viri, vnguentis conditum, ac pigmentis viuæ restitutum imagini; erectoque situ conclusum in pila vitrea. Huic vti Numini primitias florum ac frugum, filij, nepotesque offerunt. Solemne id Macrobijs AEthiopiæ populis.*

Vitales referens vultus per vitra cadauer
Macrobæa colit natio Primitijs.
Miremurnè tuos pro Petro, MONTE, labores
Primæuo teneris flore virente genis?
Gentilis monumenta tui proponis IVLI:
Vrget te tanti gloria Pontificis.
Hunc sanctè obseruas: huius vestigia calcas,
Primitias æui dulcia liba sacrans.

*Fit allusio ad Iulium III. Pont. Max. ex familia Cæsaris Montij, de quo infrà in AEstate, seu Patriarchatu ad sedem Religionis.*

SYMBOLVM

Zephyrus cliuum violis florentem perflans, sub signis Vernis Zodiaci, cum lemmate: EMINVS. VT. OLEANT.

*EPIGRAMMA.*

*De Cæsaris Montij Nuntiatura in Regnò Neap. Ordinaria, & in Hisp. Extraord. tùm Ordin. cum auspicio Purpuræ Romanæ.*

Vidimus hoc nostro veteris miracula sæcli
Aurea Gregorij reddita lustra Patris.
Vidimus insanæ molis decurrere MONTEM:
Quà Mare, quà Terras visere pondus ouans.
I, Mons fauste; suo Regi Tibi namque tributum
Mox Vaticanus Collis ab Vrbe dabit.

*ALIVD.*

Dissita Terrarum sacro cum fasce petentem
Te sibi deposcunt Oppida, quodque sibi.
Felix certamen, felicior inde triumphus:
Toti cùm præeris, totius Orbis eris.

SYM-

## SYMBOLVM

Apes ex rosario ad aluearium, delibato succo aduolantes: sub signis Vernis Zodiaci, quò mellificium Vernum exprimatur: cum lemmate: SIC.VOS.NON.VOBIS.

*In Nuntiaturam Apostolicam Cæsaris Montij.*

*PARAGRAMMA.*

*MONTIVS. NVNTIVS*

Montius vt summi referat responsa Parentis,
Litera Muta sile: tinni iucuNda: patesce
Tu quoque cOncludens Orbis pulcherrima quæque.
*MONTIVS* accitus, præsto sic *NVNTIVS* adsit,
Serius & ludens, omen de nomine ducat.

*In eandem cum auspicio ad eundem.*

*EPIGR.*

Desere surgentes septeno vertice colles,
Vastaque terrarum perlege, Monte, sola.
Altior externos translata adolescit in agros
Arbor: sic tolles culmen in æthra tuum.

## SYMBOLVM

Vitis progerminans, id sub signis Vernis Zodiaci, quo ab insana distinguatur, in quam aliàs florentem non quadrat lemma NATIVO.HVMORE.RVBESCAM.

*Nuntiatura Patriarchatum, Purpuram Rom. & Archiepiscopatum Mediol. Cæsari Montio conciliat.*

*EPIGR.*

Aurea terrigenis reuocans Ver secula fessis
Hyblæo rigidam flore colorat humum.
Ver tibi splendidius, fortunatissime CÆSAR
Illuxit, flores fructibus accumulans.
Sic Patriam repetens, ornatus ritè triumphas
Floribus vt sertis, fructibus vt spolijs.

De Nun-

*De Nuntiatura Cæsaris Montij; & obitu M. Antonij fratris, cum auspicio Summi Pontificatus ad Cæsarem.*

DISTICHON.

Cæsar ab Vrbe migrat, Marcusque (heu) migrat ab Orbe:
Iste Polo vt regnet, regnet vt ille solo.

*De Cæsare Montio in Hispanijs publicæ pacis gratia Nuntio Apost.*

EPIGR.

Castalides, mutate fides, mutate choreas:
Præcipe nunc alios, mitis Apollo, modos.
Montibus an credam posthac bellasse Gigantes?
En Mons procerus Martia tela fugat.

*Cæsari Montio Patriarchæ, Archiepiscopo, Cardinali, ex Nuntiatura triplici, Auspicium.*

EPIGR.

Historiam trina variauit fronte Vetustas,
Trinum quòd tempus Nuntia fida refert.
Quid, quòd nuper onus trinum tu, Monte, tulisti?
Nuncius annè huius trinus honoris erat?
Perge omen: trinam iam frontem perfice: Trinum
Trinus honos, REGNI quid nisi spondet onus?

*Hæc de Nuntiatura generatim. Deinde Membrum hoc subdiuiditur per Epigrapham solutam, videlicet:*

Apostolicæ . Nuntiaturæ
verum . exhibes . in . Vere . typum
CAESAR . MONTIE
Legisti
Gentilitijs . in . Hortis
immortales . gloriæ
Flores
Eloquentiam . Pacis . studium
Fidelitatem . Consilium
Quibus
intextum . Tibi . diadema
Generosis . ad . exemplum
ostenderes
Ignauis : ad . ostentum .

## ELOQVENTIA
Apophthegmate primùm sacro illustrata.

*Dicendi facultas improbis & flagitiosis Viris stimulus est vitij : Probis & honestis Virtutis instrumentum , ac subsidium efficitur.*

**S. Gregor. Nazianz.**

Interiecta Icone ipsius Eloquentiæ , scilicet in specie mulieris stolatæ , insignibus instructæ hieroglyphicis. Hæ sunt Aurea virga , Iouis fulmen , Galea coronata , cristataq; Ensis. Codex , Horologium arenarium .
Tùm Apophthegmate altero profano.

*Leoni Regnum in bestias dat robur animi , & corporis: Aquilæ in aues volatus sublimis , & velox : Homini autem super terram Imperium dat Oratio . Basil. Imp.*

*Hieronymi Montij effigies pectore tenus Elogio in stylobate inciso.*

Assurge. Eloquentia
HIERONYMVS. MONTIVS
præsto. est
qui. Te. sublatam. terris
suo. vertice. sideribus. inserat.
Hic. mentem. sortitus
celsitudini. gentilitij. nominis. parem
industriæ. primitias. libauit. Eloquentiæ.
Amœnitate. ingenij. facilè. conciliauit. Musas
floridiorem. Parnasso. Montem. conspicatas.
Eius. in. culmine. tonare. fulmina. orationis
per. decliue. sonare. flumina
Teneri. his. concionem. Illis. terreri.
Eloquentiæ
adiunctas. Leges. voluit
vt. suo. stipata. satellitio. Princeps. Disciplinarum
incederet.
Disertissimum. de. Finibus. librum. edens
liberum. se. reddidit. Fato
finem. præscribens. alijs. proscribens. sibi
confinem. Æternitati. memoriam. sui. fecit.
Quid. stupes
domestico. excitum. exemplo
CAESAREM. MONTIVM
in. Hispanijs. tantùm. valuisse. Eloquio
quantùm. Latinus. Cæsar
ferro?

SYMBOLVM
Nix, flante Fauonio, è fatis diffluens, cum lemmate Horatiano DIFFVGERE.

*Ad Cæsarem Montium Nuntiatura fungentem auspicium Purpuræ cum allusione ad Hieronymum gentilem, Ciuem Veronensem, libri de Finibus Auctorem.*

*EPIGRAMMA.*

Eloquio inuisum finem mortalibus offert,
Quæ sit curriculi meta, cuique notat.
Æterna Eloquij laus illi est finis honorum;
Æternæ laudis sed tibi principium.

*Ad eundem de Eodem.*

Postremum cunctis, & ineuitabile rebus
Explorat tempus, quod fera Parca dedit.
Ipse tamen (mirùm) dum ferrea fata tuetur,
Æterno ingenij nomine fata fugit.
Prodigia ista tuæ Gentis sunt, inclyte Cæsar,
Virtute ille fugit fata, sed ipse fugas.

*Ad Vrbem Veronam de Hieronymo Montio Ciue I. C. scriptore disertissimo.*

*E P I G R.*

Ritè simul VEnetos, ROmam, atque NeApolin: Vnda,
Mole Theatrali, Colle virente refers.
E' tribus VNA viges, tres te copulantur in VNA,
VERAque, nec sola voce, es imago trium.
Clarior ipsa tamen MONTO celebraris alumno,
Non fuit effigies VERiOr, vNA tui.
Delicias Phœbi congestas inspice chartis,
Musarum hic latices cerne, theatra, iuga.
Æmulus hic patriam, Gentilem CÆSAR adæquat:
Inuidia, & Virtus fœdera ritè ferunt.

*Aliud cum allusione ad Cæsarem Gentilem Nuntium Apost. in Hisp.*

Cùm Monto, VERONA, tuo fruerere diserto,
Lux Mundo oris eras, VERAque, & VNA nitens.
At nunc, ore potens cùm splendeat alter Iberis,
Lux VERA eloquij es, non tamen VNA nites.

---

*Ad Cæsarem Montium procurandæ pacis gratia Nuntium in Hispanijs, cum allusione ad Hieronymum gentilem Veronensem scriptorem, & ad Montanos maiores suos, Consules Romanos.*

*EPIGR.*

Te sibi, quod peperit Terris, Insubria poscit:
Verona at gentis fert monumenta tuæ.
Romaque Montanæ repetit primordia stirpis:
Nec de Te est alijs quæstio, MONTE, minor.
Sustine: &, vt Regnis pacem consciueris almam,
Orbis, non Vrbes, Te canet esse suum.

---

*Ad Veronam Vrbem de Hieronymo Montio Ciue.*

*ANAGRAMMA GEMINVM.*

VERONA
VERNAT
NAM: VER

*Cum allusione ad futuros honores Cæsaris Montij.*

*EPIGR.*

Iure tibi assurgunt plaudenti vertice Colles:
Mons, VERONA, tuo VERNAT apricus agro.
Fas est, de Terris lauro redimita, triumphes,
NAM VER perpetuum Mons tibi doctus alit.
At nostro concede iugo, concede virori:
Autumnum hic longum Ver breue namque vocat.

## PACIS STVDIVM

*Pax amica; bonum ab omnibus laudatum, à paucis conseruatum. Equidem te supra mortales omnes cupio & exosculor te, ac præsentem complector, absentemque multis lachrymis reuoco.*

S. Gregor. Nazianz.

*ICON.*

Stolata, amiculataque Matrona, vultu perquàm hilari, ramis palmæ adornans caput, dexteram olea, læuam laurea. Ad pedes Cornu Copiæ pomis diues, & manipulum triticeum.

*Suscipienda bella sunt, vt in pace sine iniuria viuatur.*
*M. Tull. Cic.*

---

*Sub gemina imagine Ioannis & Petri Montiorum gentilium Elogium in basi.*

---

IOANNES. ET. PETRVS
MONTII
duo. Bellonæ. lumina
numina. militiæ. Martis. fulmina
dispari. ætate. virtute. pari
dimicantes
gentilitij. nominis. famam. auxere.
Pisanorum. Hic. pauor. pallor. ille. Gallorum
alter. Florentiam. Neapolim. alter
seruarunt.
Mirum. in. Arni. margine. rigere. inter. rosas. gladios
inter. Parthenopes. cantus. misceri. classica.
Sed. &. mellificant. in. galeis. Apes
Bellique. Messis. Pax. est.
Amasij. Pacis. idcirco. proci. rixas. habent
arma. conserunt. vt. afferant. pacem
illud. fortiter. hoc. feliciter. peragentes
lauro. et. olea. redimiti. triumphant.
Ne. igitur. mirare

CAE-

CAESAREM. MONTIVM
Nuntiatura. inita
tam. strenuè. pro. pace. dimicare.
Habet. domi. duorum. Trophæa. Miltiadum
quæ. nec. se. domi. consistere
nec. somnum. capere
patiuntur.

SYMBOLVM

Hydrooolion, seu rostratum organum, subiectis flammis, ex quo variorum florum succi distillant. cum lemmate:
MIRVM. CONGESTA. LIQVOREM.

*Petrus Montius Imperator Florentiam urbem aduersus Pisanos tuetur Allusio ad Vrbanum VIII. Pont. Max. Florentinum, qui Cæsarem Montium primò Nuntium, inde Cardinalem creauit.*

EPIGR.

Vna tibi in forti spes est; Florentia, Petro:
Florere hoc vno, pace, tuente potes.
Instar Apenninæ surgit tibi Montius arcis:
Huius ab aspectu territus hostis abit,
Flore læta: tuis violas nunc Montibus offer,
Primitias Veris grata, datura Rosas.

*Ioannes Montius Imperator Neapoli Gallorum copias fugat.*

EPIGR.

Cedite, natiuo vallantes culmine, Colles:
Extera securum dant iuga præsidium,
Cedite, iter Colles planum qui panditis hosti:
Hostis ab horrifico vertice MONTIS abit.
Non facili (demum Mortales credite) Virtus;
Montis at abrupto mascula calle sedet.

ALIVD.

Triſtis adeſt belli Gallus, ſed Montus amœnæ
Pacis adeſt Ciui Nuntius ancipiti.
Naturæ in noſtro ſunt hæc miracula MONTE,
Pacem Echo vt reſonet, vox vbi bella ſonat.

ALIVD.

Quam torua peperit Ioannes Pallade pacem,
Hanc blando Cæſar nuntiat ore ratam.
Montanas poſthàc mutas ne dicito rupes:
Gratior hac nequeat Iuppiter ipſe loqui.

*Aliud cum alluſione ad Nuntiaturam Neapolitanam Cæſaris.*

Partenope dulces deduc ſecura choreas:
En lætum reddit collibus aura melos.
Euge: procul Martis metus eſt: æriſque ſtrepentis
Conticuit clangor: littora tuta patent.
Montæ virtuti hoc debes: in collibus iſtis
Non olea hæc docta eſt ſponte virere diù.
Ioannes pepigit, coluitque hanc CÆSAR: ab ipſa
Serta triumphalis qualia pacis habes!

ALIVD.

Gallus habet muros: Ciues opponite Montem:
Sideribus moles hæc metuenda fuit.
Gallus habet muros: Ciues ne credite Gallo:
Hoſtem, non horam ſubdola cantat auis.
Sic noctis Gallus, lucis ſic MONTIVS eſto
Nuntius; hic pacem, bella ſed ille canens.

## FIDELITAS

*Fundamentum Iustitiæ Fides. Iustorum corda meditantur fidem: Et qui se iustus accusat, Iustitiam supra fidem collocat.*
S. Ambrof.

### ICON.

Matrona albo velo caput inuoluta, annulum obſignatorium dextera attollens, cane ad pedes ſedente.

*Fides ſummum rerum humanarum vinculum. Sacra laus fidei inter hoſtes: ſacra, quod nuper comperi, inter piratas.*
*Quint. Senior.*

---

*Princiuallis Montij effigies cum Elogio in Baſi.*

---

Arcanorum. fidelis. cuſtos
quidni, præconem, exigat. publicum?
Hòc. patentior. virtutis. demonſtratio. quò. difficilius
ſecretum. hominem. vèl. ex. multis. ſecernere.
HAEC. PRINCIVALLIS. MONTII. PROAVI
PRINCIPALIS. LAVS. EST
Vt. qui
in. occulendis. arcanis
PRINCIPVM. VALLIS
erat
fieret. hoc. ipſo. MONS. orbi. conſpicuus.
Franciſco. II. Mediolanenſi. Duci. cuſtodia. ſecretorum
Caroli. V. Cæſari. opera. præſto. fuit
Res. illius. fideliſſimè. ſeruans. In. hunc. ſuas. effundens.
Nec. defuit. vtrinque, congiarium
tametſi. pretium. ſibi. Virtus. eſt
Nec. vnquam. pretioſior
quàm. quùm. præconio. famæ. diuenditur.
Teſtatus. eſt
Franciſcus. Legatione. commiſſa. ad. Regem. Gallorum
Ad.

Ad. Florentinam. Remp. Ad. Heluetios:
Carolus. insigni. Encomio. Principallem. Montium
SACRO. IMPERIO. FIDELEM
DILECTVM. EGREGIVM
prædicans.
Qui. legis. colligis
Qualis. sit. in. CÆSARE. nepote. Fidelitas
Quæ. tale. præiudicium. fecit
in. Proauo.

SYMBOLVM
Tellus feliciter germinans. cum lemmate:
REDDIT. FIDELITER.

*Principallis Montius Cæsaris Proauus ex Illustribus Decurionib. Ciuitatis Mediol. de Imperio, cui fortunas vouerat, benemeritus A Carolo V. Cæs. Sacro Imperio fidelis, dilectus, & egregius vocatur.*

EPIGRAMMA.

Viderat integrum generoso in pectore sensum
Et cornu effusas vbere Cæsar opes:
En (ait admirans) castæ pietatis imago
MONTIVS, & sacrum fidus in Imperium.
Cæsare laus magna est dignum præcone fuisse,
Cæsare sed dignum quanta nepote fuit?

*De Principalle Montio A secretis Regijs cum allusione ad Cæsarem Pronepotem in Regnis Neap. & Hisp. Nuntium.*

EPIGR.

Præsulis vt summi facias mandata, pererras
Ardua quæque soli, naufraga quæque sali.
Scilicet à Proauo clara hæc exempla tulisti,
In te vt, clare nepos, viuat imago Patrum.
Arcana is Regni seruauit, opesque superbas
Deuouit: vitam largior ipse sacras.
Ingenui hoc ciuis decus est, vt Principis arctus
Rem seruet: largus prodigat ipse suam.

*Princi-*

*Princiuallis ob eximia in Imperium merita è Nilo Marthesanæ Aquis donatur.*

EPIGR.

Aurea quòd largo prodegit fonte fluenta,
Cæsareis rediens Montius auctus aquis:
Ista mihi, dixit, vena est pretiosior auro,
Prædicat ista fidem murmure iugè meam.

ALIVD.

E Nili distracta sinu leuis vnda susurrat
Reddita promeritis obsequiosa tuis.
Scilicet est sermo manans ex ore fluentum:
Ipsaque dant vocem muta fluenta suam.
Vnda igitur fluat, & meriti canat æmula grates:
Et iugi merito iugiter vnda fluat.

*Princiuallem Montium Carolus V. Cæsar aquis Marthesanæ Franciscus II. Dux Mediol. parte Vectigalis vinarij donant cum auspicio ad Cæsarem Nep.*

EPIGR.

De Duce promeritus, de Cæsare; præmia Montus
Hinc lymphas, illinc Bacchica dona refert.
Argentum siquidem Montus profudit, & aurum:
Quidni par dono currat vtrinque liquor?
At tu pro sacris desudans Clauibus Heros,
Quæ, præter Claues, præmia digna feres?

IN EVNDEM ANAGRAMMA.

PRINCIVALLIS
PRINCIPIS. LAVS

Siue Ducis studeas rebus, seu Cæsaris: ampla
Vtrumque emeritus munera vtrinque paras.
Scilicet hæc summi demum LAVS summa putatur
PRINCIPIS, vt fidis floreat Aula Viris.

## CONSILIVM

*Iuuenes dici solent, qui nulla Consilij grauitate deprimuntur. Senes verò, non qui sola temporum quantitate; sed qui morum grauitate maturi sunt.*

S. Greg. Magn. Mor.

*ICON.*

Spectandus canitie senex, in cothurnis, torque aureo de collo pendente cum aurea bulla in cordis figuram, dextro brachio sustinens Codicem, læuo attollens noctuam auem.

*Non viribus, non velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur; sed consilio antiquorum, & scientia M. T. Cic.*

---

*Sub Gregorij XV. Effigie, Elogium in basi.*

---

Præmaturum
CÆSARIS. MONTII
In. Nuntiatura. Consilium
testatus. est. GREGORIVS. XV. Pont. Max.
alteram. Consultoris. prouinciam. in. Vrbe
raro. hactenus. exemplo. committens.
Nesciuit. Gregorius. tarditatem
Qui. vitam. festinauit. suam. Christianæ. Reip. pretiosam.
Vidit. Naturæ. prodigium. in. Cæsare
Annosam. in. Iuuentute. mentem
Senilem. in. Adolescentia. Prudentiam
In. Pubertate. Canitiem. In. Acerbitate. Maturitatem
Videlicet. in. Montibus. editus
Puer. Gigas. apparuit
Montis. propago. iugum. mentis. natiuis. canum. niuibus
statim. obtulit.
Landriana. Matre. Andriana. meliùs
hoc. est. Viragine. ortus

Leuita-

Leuitatem. nesciuit. infantiæ.
Cæsar. natus. non. factus. Romam. adiuit. suam
recturus. Consilio. priùs. quàm. Imperio.
Romanos. Consules. Maiores. sortitus
Consilio. minor. esse. non. potuit,
qui. gloriam. antiquitatis. recenti. in. ætate. præripuit.
Denique. CAESAR. fuit
non. tam, domitor. Orbis. quàm
Temporis.

## SYMBOLVM

Morus arbor frondes simul, ac fructus proferens.
cum Lemmate CITO. SI. TVTO.

*Maturitatem Consilij Cæsari Montio ex Auitis Consulibus Gregorius XV. ominatur.*

*EPIGR.*

Consilium quis, Monte, tuum vocitabit acerbum,
Sit licet à primo picta virore gena?
Si genus à prisca repetatur origine, multo
Consule MONTANO Troica Roma tumet.
Quidni tam cano mens maturescat ab æuo?
Annè potis tantus degener esse Nepos?

*Cæsar Montius A Paulo V. Consultor Ecclesiasticæ Ditionis A Gregorio XV. S. Officij in Vrbe. Ab Vrbano VIII. Congr. de Propaganda fide creatur. Allusio ad Nuntiaturam cum Auspicio.*

*EPIGR.*

Dat Paulus, dat Gregorius graue munus in Aula,
Vrbanus fasces fascibus accumulat.
Hæc tria Consilium infundunt tibi Sidera, vt vni
Ritè adsis Regno, mox tria Regna geras.

*Maturitas Consilij Cæsari Montio Christiani Orbis maturat Imperium.*

DISTICHON.

Summos tam iuuenis cur, Monte, capessis honores?
Temporis an domitor, Cæsar, vt Orbis, ades?

*Tumulus Gregorij XV. Ludouisij Pontif. Max. qui Cæsarem Montium Consultorem creauit cum lusu in nomine ipsius Gentili.*

Ille ego Gregorij quino tèr nomine clarus
Sum, breuis (heu) Gentis sorsque, decusque meæ.
Fecerat antè omen mihi dirum è nomine Parca,
Visa sit vt LVDI VISIO vita fugax.
Nam me, quòd tulerim Montum iuuenilibus annis
Canum mente, videns; fata obijsse rata est.

*Maturitas Consilij in Cæsare Montio cum allusione ad Iulium Cæsarem Imperatorem.*

EPIGR.

Nauita cùm pelagi trepidus pallesceret æstu,
(Macte, ò: fortunam Cæsaris ecce vehis)
Cæsar ait. Te consilijs per splendida ferri,
Esse quid hoc dicam, Cæsar, ad Imperium?
An Tu Fortunam reputabere ferre caducam,
Vna cui Virtus vecta, superna petit?
Ipsa àn Consilijs te Fortuna improba ferre,
Fortuna obducto lumine cæca, potest?
Tam velox non illa tamen foret, ipseque felix,
Illam ni veheres, ni veherere simul.

*ALIVD.*

ALIVD.

Quis tua non ſtupeat celeri veſtigia greſſu
Tendere ſupremi culmen ad Imperij?
Felix ò Genius: ſenſum præmonſtrat in annis
Robuſtum teneris, ante virumque virum.
Felix ò Genius, prægnans quo frugibus æſtas
Lucet in Hyblæis Vere comante Roſis.
Felix ò Genius, quo feſtinata iuuentam
Flauicomam curſu cana ſenecta præit.
In iuuene ecce ſenex, æuo maturus acerbo.
Sanus conſilijs, is benè canus erit.

AESTAS

*Cuius ſchema Diſticho propoſitionem Membri complectitur. videlicet*

FERT. PATRIARCHALES. AESTAS. CVM. FRVGE. LABORES:
COMMVNE. IMPERIVM. CVM. IOVE. CAESAR. HABES.

*AEſtas Coloſſea, muliebri ſpecie, ariſtis triticeis compta caput, dextera Crucem Patriarchalem ſtringens, læua Cornucopiæ ariſtis triticeis plenum, cum Epigrapha in ſtylobate.*

AESTAS
PATRIARCHATVS
TYPVS.

*De Patriarchatu generatim*
*Emblema Horti voluptarij.*

Hìc virides cunei miniato flore niteſcunt:
Hìc gelida in medijs Solibus vmbra cadit:
Hìc longo laqueata patet geſtatio calle:
Hìc varijs ludit ductilis vnda modis:
Hìc purum replet modulis captiua volucris;
Hìc Pomona ſuas prodere certat opes:
Hac licet æſtiuos moderari ſede calores:
Non ſtrepit hìc rabido Sirius ore minax.
Sic quæ curarum te pondera, NVNTIE, vexant,
En PATRIARCHALIS lenit adeptus honor.

SYM-

## SYMBOLVM

Segetes maturitati proximæ, vrgente Sole sub æstiuis signis Zodiaci. cum lemmate:

PROPERAT. DISTINGVERE. CVLMO.

*Cæsar Montius gemina Nuntiatura præfulgens in Hispanijs, creatur Patriarcha Antiochenus, cum allusione ad futuram Purpuram, ad Archiepiscopatum, & auspicio Summi Pontificatus.*

*DISTICHON.*

Munera bina gerens, bina Cruce, Monte, coruscas:
Cùm pòst trina geres, quæ, nisi trina manet?

## SYMBOLVM

Sol Leonem Zodiaci lustrans, cum delabente subtùs fonticulo è Montis caute. lemma.

GRATIOR. ALGET. VNDA.

*De Patriarchatu Antiochensi Cæsaris Montij cum auspicio Summi Pontificatus ex nomine Dignitatis.*

*HEXASTICHON.*

Quàm decuit sanctum PATRIS te sumere nomen,
Quem nulla Imperij, Monte, cupido ferit?
Imperij tenè vlla ferit vesana cupido,
Cui nimis est blandum nomen habere PATRIS?
Perge. basis summæ ista est summa modestia molis:
Ex PATRE iã PETRA es: mox PETRA PETRVS eris.

SYM-

## SYMBOLVM

Sol Leonem lustrans. cum lemmate.
GEMINAT. INCENDIA.

*Ad Cæsarem Montium ineunte Iuuentute Patriarcham Antiochenum, Auspicium summi Pontificatus.*

*HEXAST.*

Fortunate nimis Cæsar, ridentibus Astris
Edite: nulla cui voluitur atra dies.
Aspice, quàm stabili nitatur cardine Fatum:
Fert fasces ephœbo Antiochia PETRI.
O benè. Roma PETRI summos feret æmula fasces:
CÆSAR, fata volunt, sis IN VTROQVE PETRVS.

*Subdiuisio Membri per Epigrapham solutam.*

Geminorum Sidus
honores. tibi. de. Cælo. geminat
CAESAR. MONTIE
Nuntiaturæ. Patriarchatum
adsciscit
Æstate. Veri. subeunte. dicam. an
concurrente?
Coæuos, floribus. habes. fructus
egregiæ. respondentes. stirpi
Religionem . Deuotionem
Iustitiam . Innocentiam
Tam. Sereno. Soli. Nuntiaturæ
Quidni. Patriarchalis. æstus
succederet?

RE-

## RELIGIO

*Verus cultus est, in quo mens colentis se ipsam Deo immaculatam victimam sistit.*

Lact. Firm.

### ICON.

Species mulieris trabeatæ, faciem tectæ velo tenui, Columbam capiti irradiatam, pansisque alis imminentem habentis: In læua manu virgam auream, in dextera protensa Claues geminas pensiles. Ad pedes Genios binos genu flexo porrigentes ipsi, hunc tabulas Mosaicæ legis lapideas, illum Euangelij codicem.

*Publica Religione consecrata Virtus, nulla priuata laudatione indiget.*

Valer. Max.

*Iulij III. Montij Pont. Max. Effigies cum Elogio in Basi.*

Manibus. date. lilia. plenis
purpureis. insperʃa. rosis.
Hic. Ille. est
IOANNES. MARIA. MONTIVS. ROMANVS
suæ. patriæ. columen. suæ. culmen. familiæ. sui. æui. lumen
Religionis. flagrans. siti. Iuris. ac. Eloquentiæ. hausit. fontes.
Gloriam. vtramque. æmulatus. citra. æmulum. floruit.
Vrbem. Gubernator. rexit. recturus. cum. Orbe. Pontifex.
Sipontina. Infula
Vaticana. Purpura
Multiplex. Legatio
suppoʃuere. ad. apicem. gradus.
Tam. secundis. initiatus. auspicijs
IVLIVS. III. CONCLAMATVR
Hic. Iubar. Hic. Fulgor
Missis. Legatis. accolas. Tigridis. fluminis
purioribus. Fidei. scatebris. irrigauit
Angliam. noua. Hæresi. horrentem. perpurgauit
Anti-

Antiquo. nitori. restituit
obtruncato. Ecclesiæ. Anglicanæ. nefario. Capite.
Pontifex
inde. Optimus. Maximus
Maior. tamen. aliquando. et. Melior
Quùm. assumpta. à. CÆSARE. Gentili. persona
IVLIVS. CAESAR
Orbi. redditus
imperabit.

## SYMBOLVM

Fanum in agro surgens cum manipulis segetum pro valuis. lemma: PRIMITIAE. DEO.

*Ad Iulium III. Montium Pont. Max. qui Angliæ hæresim extinxit accolas Tigridis fl. in Catholica religione confirmauit, cum auspicio Summi Pontificatus ad Cæsarem gentilem.*

*EPIGR.*

Quàm largam vastis messem tua legit in oris
Relligio? steriles quot grauidauit agros?
Æstatem per te Mensis fert Iulius almam
Diues, & officijs, & pietate calens.
Sustine, Io, Augustus sequitur generosa propago:
Iuli, hic Augustus quis, nisi Cæsar, erit?

*De Iulio III. Montio Pont. Max. cum auspicio ad Cæsarem.*

*EPIGR.*

Iulius ecce præit, Gentis fax lucida MONTÆ:
In Petri solium iura daturus abit.
Ecce præit, reseratque sibi, reseratque nepoti
Obstructum; gemina claue decorus, iter.
Iulius ecce præit: sequere ò vestigia, Cæsar:
Iulius, & Cæsar quàm benè iuncta sonant?

*Aliud cum allusione ad Iulij III. patriam Romam & auspicio ad Cæsarem Patriarcham.*

Quis te Parrhasius finxit? Tu Iulius alter
Lux Gentis, Cæsar, crederis, alme nepos.
Ille Pater Patrum, Romæ natusque parensque:
Tu Patriarchali puber honore nitès.
Macte: ita fata volunt, coëant vt dissita secla:
Iulius, & Cæsar vox ferat vna Patrem.

*ALIVD.*

Iulius insigni Cæsar cognomine clarus
Ipse tuus quondam, Roma, triumphus erat.
Nostra quid inuideant seclis collata vetustis:
Quid cedat Latiæ postera Roma locum?
Iulius ecce alter rerum moderamina cepit.
Iuli, vbi Cæsar erit? mox erit ipse nepos.

*Religio Iulij III. Montij Pont. Max. in Cæsarem Montium transmissa.*

EPIGR.

Quàm scitè ora refers, Cæsar, gentilis IulI?
Acta, animos, mores quàm bene cuncta refers?
Hùc si Pythagoras adsit reuocatus ab Orco,
In tua, IulI animam, membra migrasse putet.
In te Roma suum iam viuum credit Iulum:
Seu vice te IulI viuere læta canit.

*De Religione Cæsaris Montij I. C. è Collegio Mediol. patritij Illustriss.*

*HEXASTICHON.*

Ipse quòd Heroum genus alto à vertice ducam,
Splendida quod dederit nomina multa pater,
Fecerit ingenij clarum me laurus honore,
Laurus Apollineis grata corona genis:
Summa mihi hinc laudis ne fingite nomina, Ciues:
Relligio, Montis me locat vna iugo.

## DEVOTIO

*Hæc est vera Deuotio, quæ naturæ vsum, & sexus infirmitatem, mentis deuotione transgreditur.*

S. August.

## ICON.

Aræ innixa mulier, dextera collum prehensans Ciconiæ, læua ensem nudatum.

*Mortem præclaram esse fateor, & me deuouere, ac vel in medios me mittere hostes paratus sum.*

Apud Liuium.

---

*Sub Effigie Petri Montij*
*Elogium in basi.*

---

PETRVS. MONTIVS
Magnus. Melitensium. Magister
Magnus. Apostoli. Petri. Dux. Deuotionis. Magister
æquè. infensus. Scythæ. ac Scytha. Petro:
eius. non. tela. formidans. quia. petra
non. fulmina. quia Mons:
Elidens. iactum. Eludens. ictum
nobilis. amborum. triumphator.
Diceres. absolutam. Apostoli. imaginem. Petrum. Montium
nisi. quam ille. ad. humeros. hic. ad. pectus
gestaret. Crucem:
sed. quàm. bellè. ad. pectus.
qui. pro. ipsa. pectus. contis. obiecit
idem. vt. esset. armorum. genus. & causa?
Vtriusque. clara. victoria
alter, licet. impiorum. bella. perferens. alter. inferens.
Ille. ligno. Hic ferro
ad. Cæleste. Capitolium. iter. panderit.
Denique. Petram. Christianæ. moli. subiecit. Petrus
Montius. Montem. supposuit

caput. pro . Christo. vouens. pro. Petri. fide. paciscens.
Duriùs. ferret
Orbis. Christianus. ereptum. sibi
PETRVM.MONTIVM
nisi. in. Cæsare. gentili
restituendum. in. Vrbe. certò. sciret.

## SYMBOLVM

Lotos herba, de medio emergens flumine, Solemque respiciens, eius cursum capite vèl in aquis merso comitatur. Hæc frequens in Nilo flumine. lemma:
TE. DVCE. DVLCE. MERGI.

*De Petro Montio Magno Magistro Ordinis Hierosolymitani cum auspicio Summi Pontificatus ad Cæsarem Nepotem, & allusione ad Diuum Petrum Apost. ac Iulium Cæsarem Imp.*

*EPIGR.*

Montanæ sobolis flos ò lectissime Petre,
Petre, ò augustum nomen in Vrbe Patris.
Pro Christo ille caput vouit, caput Orbis in Vrbe:
Petrus at infidis obijcis ipse Scythis.
Ritè Petri nomen sacras tu nomine: Cæsar
Sacrabitque tuum lectus in Vrbe Petrus.

*ALIVD.*

Appellens, almum Petrus iubar extulit, Vrbi,
Cæsar cùm Latijs iura suprema daret.
Quid tu, Cæsar ages? Pulcher tuus occidit (heu) Sol
Petrus, Præsidium, Christiadumque decus.
Neu mœre: Per te fiet rediuiuus in Vrbe:
Cæsaris & posito nomine Petrus eris.

ALIVD.

E' valida Petrum Siculi dum vorticis Arce
Pugnantem Christi bella cruenta vident;
Vaticana sacrum linquentia Numina collem
Accurrunt, Petrum rentur adesse suum.
Sed reducem, Cæsar, cùm te redeuntia cernent,
Hic Petrus est, dicent, illeque Cæsar erat.

*Cæsar Montius Romæ renuntiatur Nuntius & Patriarcha, cum auspicio Summi Pontificatus.*

EPIGR.

Cæsar adest, cæsis non regnaturus in Vrbe
Ciuibus: Hic proprium vouit in Vrbe caput:
Imperium vetus haud metuas: eris altera ROMA,
Rex erit inuerso nomine solus AMOR.

*Deuotio Petri Montij Magni Magistri Melitensis.*

EPIGR.

Hactenus Heroum nullus magè dignus in Arce
Explicuit Solymæ candida signa Crucis.
Quem Maometigenæ cieat dehinc ira tonantis,
Infidi aut frangant agmina torua Scythæ?
Fulgurat immani surgens Crux vertice MONTIS:
Tutior Arx, signum clarius annè fuit?

*De Cruce Patriarchali Cæsaris Montij Nuntiatura fungentis, cum allusione ad Petrum Magnum Magistrum Melit. & auspicio Summi Pontificatus.*

EPIGR.

Hac Cruce iure nites, Christi dum iura capessens
Curarum ingenti pondere pronus abis.
Quàm benè Maiorum relegis vestigia, Cæsar,
Gentilisque Petri quàm benè carpis iter?
Non erit ista tamen contenta hoc munere Virtus:
Crux, quam PATRIS habes, fiet adaucta PETRI.

## IVSTITIA

*Iustitia non nouit patrem, non nouit matrem: veritatem nouit, personam non accipit, Deum imitatur.*
Cassiod.

## *ICON.*

Fœmina virenti ætate, clauam dextera intentat in fœminam vetulam ore ferino fremebundam, quam illa deiectam humi premit sinistra.

*Tutissima generis laus est, Virum laudare, qui iustus fuerit, & moribus optimis, ac eundem vocare nobilem.*
Astydamus Trag.

*Sub effigie Principalis Montij Patris*
*Elogium in basi.*

Salue. Heros. ter. felix. labentis. gloria. seculi
superiorum. inuidia. posterorum. admiratio.
Tu.per.omnes.Magistratuum.honores in.Insubria.deuectus
perfectam. Orbi. Iustitiæ. imaginem
iniquissimis. temporibus. Obtulisti:
extorrem. restituisti. Terris. Cælo. receptam. recepisti
eius. vestigijs. Montem. supponens. tuum.
Aureum. inter. secures. ferreas. peperisti. seculum
Exemploque. docuisti. tuo
Quæsturam. Regiam. sine. quæstura. gerendam.
Senatoriam. trabeam. seriùs. quàm. merueras. accepisti
consequente. porrò. vmbra. Solem
quem. ferebas. in. oculis;
Vt. iure. non. precario
incorruptus. Iuris. vindex. capesseres.
Sed.heu.cedendum.mox.Fato.putas.ne.Cæli.iura.violes
debitam. illi. partem. Cælestem. Genium. negans.
Tu. verò. ne. mœre. Patria:
Occidit. in. Principalle. Iustitia
sed. resurgit. in. Cæsare:
In. parente. perijt. In. Nato. nascitur.

SYM-

SYMBOLVM
Messi multiplici fax admota. lemma:
AEQVA. OMNIBVS.

*De Iustitia Principalis Montij.*

*ANAGRAMMA.*

MONTIVS—— TV. MINOS

Te duce quàm felix floret pax publica, Monte?
Iudice crimen abit, vindice iura vigent.
Ergonè obis, viuo viuit quo gloria Iuris?
Ah scio, TV MINOS iura daturus abis.

*Principalis Montius pluribus defunctus magistratibus diem obit Cæsare filio sacros fasces capessente.*

*DISTICHON.*

Æthre Pater; Natus Terris dat iura. Quid? Orbis
Diuisum imperium cum Patre Natus habet.

*De Iustitia Principalis Montij.*

*EPIGR.*

Fascibus insertas grauibus dum cerno secures
MONTE, tuas; cerno truxquè supercilium:
En vt iura colit Ciuis, legesque tuetur,
Sanctaque syncerae fœdera pacis amat.
An non miretur, redeat si prisca Vetustas,
Aurea quòd ferro secla vocare scias?

*ALIVD.*

Quàm varios prendis fasces, prendisque secures,
Implere vt Iuris munia cuncta queas.
Non ita multiplices mentiri Prothea vultus
Pomonæ quondam sedulus egit amor.
Frustra sed Iuris varias tu, MONTE, figuras,
Quo non viuidior Iuris imago datur

*In obitum Principallis.*

*EPITHALAMIVM THRENODICVM.*

Montus obit: Miseros (heu) quæ fortuna manebit?
Cum Monto Patriæ ius obit omne suæ.
Cur obit & Patriam viduans cur pergit ad astra?
Astrææ, Ah, sponsus consociandus abit.

*Aliud cum allusione ad Cæsarem filium.*

Monte, fugis, figisque tuas super æthera sedes,
Orbum nec pignus deseruisse dolet.
Cur non primæui sortem meminisse Hymenæi,
Vt quæras alios fessus amare toros?
Astrææ nubens, Nato ius forsan adauges:
Prodiga quò fiat matre nouerca magis.

## INNOCENTIA

*Cognoscamus Sanctos non naturæ præstantioris fuisse, sed obseruantiæ maioris.*

S. Ambros.

*ICON.*

Virguncula coronata lilijs, Agnum sinu gestans.

*Breue tempus bene, & innocenter actum, peccanti immortalitati anteponendum est.*

Iulian, Imp.

*Sub effigie Christophori Mariæ Montij Card. & Patriarchæ.*
*Elogium in basi.*

En. tibi. Spectator
spirans. Innocentiæ. simulacrum
Christianæ. vertex. gloriæ. Montiæ. virtutis. apex
CHRISTOPHORVS-MARIA
CARD. ET PATRIARCHA.
Hic. Iulij. III. Pont. Max.
agnatione. patruelis. integritate. germanus
inauguratione. filius
Montiorum. Procerum. numerum auxit. & numen.
Christophori. appellationem. dignè. tulit
Qui. Christi. prætulit. mores
Diuum. simul. ac. Deum. vno. certamine. æmulationis
adortus:
nec. ambiguus. de. victoria
vni. licet. suppar, altero. inferior. euasurus.
Talem. poscebat. hominem. Patriarchalis. Insula
Candida. Candidum.
Sed. inter. Romanæ. fulgores. purpuræ
blandiùs. reniduit. candor
&. inter. tot. liba. opulentissimi. Sacerdotij
Illabata. mentis. puritas.
Defuncti. Manes. Excepit. Oppidum. Sancti Angeli
Dignus. Homine. Angelico. Tumulus.
Non. amisistis
MONTII
hanc. facem
sed. præmisistis. Cæsari. vestro
Hesperum. Genti. Gentili. Phosphorum

## SYMBOLVM

Persica arbor è natiuo solo in nostrum traducta, atque onusta pomis. cum lemmate

NON. AMPLIVS. VENENATA.

*Innocentia Christophori Montij Card. & Patriarchæ cum allusione ad Cæsarem gentilem & ipsum Patriarcham.*

EPIGR.

Cùm tua, Christophore, aspicio comitantia vocem
Facta; homo non fragilis, sed mihi Numen ades.
Numen ades, tenet atque ipsum duo Numina nomen,
Sic gemini nomen Numinis omen habet.
Et tecum tuuus haud metuet confligere Cæsar?
Non, ni & vicisset Numina, Cæsar erat.

ALIVD.

Innocuum Montus Christum deportat vterquè:
Vita est amborum viuida imago Dei.
Mirum, quòd vocem gestis ea iungit imago:
At magè mirandum est, hanc sine voce loqui.

*De Cæsaris Montij Innocentia.*

EPIGR.

Vera est (iam credo) nec inanis fabula Vatum,
Monte homines quondam bella cijsse polo.
Iste mihi testis sit primis Montus ab annis,
Cui sacra victori Purpura dona parat.
Æmulus æthereos tentat dum fingere mores,
Non hæc cum Superis pugna vocanda Dijs?

Christo-

*Christophori Montij Innocentia cum allusione ad Diuum Christophorum.*

EPIGR.

Christophorum præfers, Christum fers, nomine, vita:
Vtrumque exemplar maior Apelle refers.
Innocuus manuum, mentis, celebratus & oris:
Amborum nusquam talis imago fuit.
Cede tamen, functi nam functa elanguet imago:
Cæsaris en melior viuit imago tui.

*Christophori Montij Innocentia cum allusione ad Cæsarem gentilem.*

EPIGR.

Nominis omen habet, respondent vocibus acta:
Christophorus Christum nomine, more gerit.
Integer est vitæ, scelerisque immunis, honesti
Cultor, & in Superos relligione grauis.
Fraus hostilis abest. linguaque & pectore Verum
Stat, pudor atque fides intemera viget.
Digna Deo vita est, Christoque simillima. Quid plus?
Christophore, hoc satis est: Nominis omen habes.
Nominis omen habes? Dium mirare Nepotem:
Quo caret ille, tamen nominis omen habet.

*Ad Cæsarem Montium de Innocentia Christophori gentilis cum allusione ad Diuum Christophorum Martyrem.*

EPIGR.

Christophori Christum, vario sed munere, bini
Gestant: ille humeris, moribus iste pijs.
Quantus is? Infanti, fando qui condidit Orbem
Subdere ceruicem non timuisse suam?
Quantus hic, æthereis gestat qui moribus istum?
Hunc, Cæsar, doctus tollere, quantus eris?
Anteus ille gigas, Alcides iste gigantum:
Ipse sed, Alcidæ quis, nisi Cæsar, eris?

## AVTVMNVS

*Cuius Schema effert Membri propositionem per Distichon, videlicet.*

PVRPVREO . AVTVMNVS . PINGIT . TIBI . PEPLA . LIQVORE:
COMMVNE . IMPERIVM . CVM . IOVE . CAESAR . HABES.

*Sequitur Autumnus Colossicus, muliebri specie, pomis varijs coronatus, dextera Pileum ostentans Cardinalitium, læua manipulum vuarum rubentium, cum Epigraphe in Stylobate.*

## AVTVMNVS CARDINALATVS TYPVS

*De Cardinalatu Generatim*

*EMBLEMA.*

*Vuæ rubentes in torculari pressæ.*

Pampineos fœtus, rubicundaque pignora Bacchi,
Aggere collectos torcula læta tenent.
Præla madent domitis, petraque premente gemiscunt:
Vndique purpureo nectare plena fluunt.
Pro Petro an premeris? petranè vrgente fatiscis?
Dulce onus. Inde tibi purpura, Monte, scatet.

## SYMBOLVM

Poma varia ex arboribus sub signis Zodiaci Autumnalibus collecta. cum lemmate
MATVRA. ET. MATVRANDA.

*Cæsar Montius in Hispanias procurandæ pacis gratia Nuntius profectus, reuertitur Cardinalis. Allusio ad Caium Iulium Cæsarem Imp.*

*EPIGR.*

Cæsar abis, vastasque Orbis petis impiger oras,
Dirùs vt in Martem funera acerba feras.
Ecce VENIS, simul atq; VIDES, VINCISQVE: Triumphū
Quid nisi parta recèns Purpura læta canit?

*De Cæsare Montio Cardinali, & M. Antonij fratris obitu.*

*DISTICHON.*

Marcus adit Cælum: Terræ moderamina Cæsar:
Orbis vterque sibi diuidit Imperium.

SYMBOLVM

Vindemia pruinis exposita, sub signis Zodiaci Autumnalibus. lemma

PRVINA. COQVET.

*Familia Montia Cæsari Cardinali summum auguratur Pontificatum, cum allusione ad Eminentissimos gentiles Antonium, Innocentium, Christophorum, & Franciscum Mariam Cardd.*

*EPIGR.*

Iam mea per totas fulserunt lumina terras,
Eoique vias Solis, & occidui.
Vndique vitrices ostentant atria lauros:
Infula vbique mihi trita, & vbique chlamys:
Fascibus enumero fasces, Tyrioque quaternos
Murice fulgentes iacto superba PATRES.
Incedit quintus Cæsar, flos gentis, & Orbis,
Præsul magnanimus, purpuræ & altus honor.
Hunc ite ergo mei deducite ritè Nepotes:
Ite, triumphali ducite honore virum.
PATRES quadrigæ sunto: sic nixa quaterno
CARDINE erit: fronti Romaque serta dabit.

SYMBOLVM

Vitis adhærens vlmo, ac rubentibus vuis fœta, cum lemmate DEEST. ALBA. DECORI.

*Cæsar Montius ad Patriarchalem, atque Archiepiscopalem infulam tertium adiungit honoris insigne, idest Romanam Purpuram.*

*TETRASTICHON.*

Lampade lustrabat Sapiens in Sole plateas,
 Quæro hominem, dicens, nec tamen inuenio.
Quid nunc ille, homines si tres reperiret in vno?
 Aut mihi nulla dies, aut ego nullus homo.

*Cæsari Montio Cardinali auspicium Summi Pontificatus.*

*DISTICHON.*

Fortunata nimis Nato te Cæsare Roma:
 Fortunata magis Cæsare Roma Patre.

*Subdiuisio Membri*
*per Epigrapham solutam.*

Maius. decus. adiungit
Autumnus
Manere. Maximum. autumat
CAESAR. MONTIE
Cardinalitios. Tibi. fasces. deferens.
Generosas. in. accliui. tuo. dum. reperit
Vites
obuiam. habet
vnde. amictum. purpuret.
Sapientia . Temperantia
Ciuili. Prudentia . Magnanimitate
Autumnalibus. pomis
diues
Merum. poscebas
auctarium.

SA-

## SAPIENTIA

*Nulla est scientia, si vtilitatem pietatis non habeat: & inutilis est Pietas, si scientiæ discretione careat.*
S. Gregor.

### *ICON.*

Erecto corpore, crineque soluto Mulier in altum rapta, expansis brachijs, sublatis luminibus contemplabunda.

*Qui nauem gubernant, aliena voce iussuque vtuntur: sed qui Remp. administrant, in se ipsis Sapientiam habeant, oportet; vt non sit opus aliena voce.*
Plutarch.

---

*Sub Antonij Montij effigie*
*Elogium in basi.*

---

Te. ANTONI. MONTIE
Cardinalis. Amplissime
admiratio. concipiat. fama. pariat
Quem. vnum. Septem. Græciæ. Sophis
Italia. Christiana. obijceret
ni. pleno. cœtui. summorum. Antistitum
inauspicatò. Pisis. coacto. feliciùs. obiecisset.
Hic
CLEMENTIS. VII. PONT. MAX.
Patruus. sanguine. consilio. Pater
nescias. integritate. an. sapientia. spectabilior. Præsul
certè. et. inter. sapientes. integerrimus
et. inter. integros. sapientissimus. spectatus
haustam. è. Cælo. Sapientiam. ad. alluendos. Vrbis. agros
latiùs. ac. lætius
quàm. suas. Tibris. vndas. deriuauit;
Absentis. ab. Vrbe. Pontificis. Legatus
impleuit. oraculum

Annè.

Annè. alius. septem. præesset. Collibus. quàm
MONS. EMINENTISSIMVS?
Eius. cineres. Romæ. in. Monte. Aureo. conditi
pretiosam. testantur. mortem.
Virtutis. heredem. Successorem. nominis
suum. reliquit. ex. asse
CAESAREM.

SYMBOLVM

Vitis exuens folia, cum lemmate:
ALTIVS. HAERET. VIGOR.

*Antonij Montij Card. sapienti consilio abrogatur Pisano Concilio fides.*

*EPIGR.*

Conueniunt Proceres sacra ad comitia Pisis
Heu nimis infausto sidere conueniunt.
Luminibus Cælum cæcis si luxerit: ecquis
Tutus inoffensum tendat in Orbe pedem?
Si (sapiens retulit) sapiens dominabitur Astris:
Errabunda (iubet Montius) Ite procul.

*De Antonij Montij Card. Sapientia cum allusione ad M. Antonium olim Triumuirum.*

*EPIGR.*

Fæx ille Romæ tetra, fax, incendium,
Orbisque pestis, vastitas, pallor, pauor
Antonius, quo fœdius monstrum tulit
Non alterum tellus Latina antiquitùs:
En alteri victus recenti Antonio
Cedit malè vsurpati honorem nominis:
Pestis nefandæ vindicem dum conspicit,
Patrem Sacrorum, Antistitem Iuris grauem:
Sic nominis delet vetustum dedecus
Antiquus alter moribus, vita recens.

*Anto-*

*Antonij Montij Sapientia fidem abrogat Pisano Concilio.*

EPIGR.

Quàm malè consultò coguntur Numine Patres?
An, nisi in ipsius nomine, Numen adest?
Obijce te, Antoni: pandent te oracula. Cœtum
Collegisse hominum est, dissoluisse Dei.

*Antonij Montij Card. legati Romani pro Clemente VII.*
*Tumulus in Monte Aureo.*

AntonI hic tumulus: Septem qui Collibus Vrbis
Iura dedit. functum quàm breuis vrna tenet?
Neu stupeas. loculo hoc tantus bene clauditur Heros:
Auri sic loculo gemma superba nitet.

ALIVS.

Salue, magne cinis, Manes saluete beati,
Et sacer AntonI, qui tegis ossa, lapis.
Mausolæa silet moles, superata residit.
Splendidus Augustæ creditur arctus amor.
Aurea vita tibi, tumulus fuit AVREVS & MONS:
An pretiosa alibi fama sacranda fuit?

ALIVS.

Magni hìc AntonI cineres, hìc ossa quiescunt.
Thesaurum ò quantum continet vrna breuis!
Aurea mens, verba aurea, & aurea gesta fuere,
Vilia quæque ipsi sunt pretiosa alijs.
Auri vèl moles est illi credita vilis:
Aurea sed Virtus vna putata Viro est.
Cur non & vitæ funus respondeat actæ?
Aureus an fuerat Vir tumulandus humi?

## TEMPERANTIA

*Regnantis facultas tunc fit ditior, cùm remittit, & acquirit nobiles thesauros famæ, neglecta vtilitate pecuniæ.*
Cassiod.

### ICON.

Virgo stolata, palmam dextera gestans, sinistra frænum & habenas, ad pedes autem cubante leone, cum Tauro.

*Ad hoc signum prospicientes, dirigere vitam debemus: omnia tam publica, quàm priuata ad hoc referentes, vt iustitia, & temperantia illi adsit, qui futurus sit felix.*
Plutarc.

*Sub effigie Francisci-Mariæ Montij Card.*
*Elogium in basi.*

Quisquis. aues
Temperantis. decus. animi. in. maximo. Principe
sartum. tectum. inspicere. suspice
FRANCISCVM-MARIAM. MONTIVM
Qui
Marchionatus. S. Mariæ. hereditario. clarus. nomine
Purpura. Romana. tit: S. Mariæ. in. Ara. Cæli. insignitus
inter. tot. blandientis. fortunæ
ac. famæ. applaudentis. delicias
inuiolatum. seruauit. rationis. imperium
inconcussam. mentem. intaminatum. animum.
Diui. Francisci. Assisinatis
æmulator
maluit. inops. esse. in. copia
in. luxu. non. luxari
in. affluentia. non. diffluere.
Hostem. inter. castra. felicitatis
libidinem

aduer-

aduerſo. quàm. auerſo. corpore
difficiliùs. ad. pugnam. faciliùs. ad. gloriam: oppugnare.
Aræ. Cæli
dicatam. ſe. ſciens. victimam
ex. Amalthææ. cornu. lectis. floribus. coronari
quàm. incomptum. ſordidatumque. ſiſti.
CAESARI. SVO
vel. exemplum. tranſmittens. vel ſpeculum
vbi. non tàm. Gentilem. quàm. ſemet. inſpectaret
viuam. Temperantiæ. Cæleſtis
imaginem.

## SYMBOLVM

Imber primus Autumnalis, coniecturam temporis præbente frequenti calato pomis pleno. lemma:
TEMPERAT. AESTVM.

*De Temperantia Franciſci Mariæ Card. Montij in Aula Romana.*

*EPIGR.*

Hic, vbi flat ſæuos Boreas veſana libido,
Fluctibus & ſurdis mens agitata furit:
Inter tu Boreas, fluctus interque ſtrepentes
MONTIE, quàm placidus, quàmque beatus agis?
Scilicet attollis veluti MONS culmen Olympo,
Grata vbi temperies regnat, & aura leuis.

*De eadem cum alluſione ad Diuum Franciſcum Aſſiſinatem.*

*HEXASTICHON.*

Cuius ab auguſto decoraris nomine, MONTE,
Æmulus exemplo facta referre ſtudes.
Franciſcus lictis opibus moderatus habetur:
Inter tu largas parcus haberis opes.
Si magna auerſo laus eſt confligere, quanta
Laus erit aduerſo pectore bella ſequi?

*Temperantiæ typus in Francisco Maria Card. Montio.*

*HEXAST.*

Hinc ego Franciscum iacto, iacto inde Mariam.
Auspicium (ò felix) voce ab vtraque peto.
Instar ea Oceani largo dat gurgite census:
Hæc tenuem in largis censibus esse docet.
Ex gemino hoc nostrum constabit nomine nomen,
Nixaq; in hoc gemino CARDINE vita cadet.

---

*ALIVD.*

*Cum allusione ad titulum S. Mariæ de Ara Cæli.*

Splendida cùm fuerit nactus cunabula Montus,
Cui dederit Cæsar nomina, Cræsus opes:
Mens tamen in luxu non est luxata fluente,
Pulsatam tetigit nulla libido probris.
Altior at cunctis, vt Mons, Cæli alta petiuit
Mirum? ARAE CAELI victima Montus erat.

*De Francisco Maria Montio Card. Aræ Cæli.*

*HOCTOSTICHON.*

Hic MARIA, hic TERRAS, hic CÆLVM conspice, lector,
Est hæc vnius gloria tota Viri.
Quàm bene cuncta suis digesta in sedibus hærent?
Illa iacent, surgunt hæ, sed id alta tenet.
In magnis humilem te opibus dat PONTVS: in imis
MONS celsum: humanis ARA POLIQue pium.
O type belle Orbis magni, quid habebere paruus?
An Microcosmus eris, qui Macrocosmus ades?

---

*Temperantia Francisci-Mariæ Montij, ex Marchionibus Sanctæ Mariæ, Cardinalis tit. Sanctæ Mariæ in Ara Cæli.*

*HEXASTICHON.*

Nomina sancta dedit tibi sors è sorte parentum:
Lucina & genito nomina sancta dedit.
Virtus emerito tribuit quoque nomina dia:
En dium MARIÆ nomen vbique sonat.
Scilicet humanas moderans res, Diuus haberis:
Ara tibi Cæli certa sit arrha poli.

## CIVILIS. PRVDENTIA

*Sacerdotis est populum monere, non mouere arma; quia gladium mentis, non Martis tenet.*

S. Io. Chrysost.

*ICON.*

Bifrons mulier galeata, lauroque redimita. frontem dexteram dexteræ intendit manui, sagittam tenenti; cui circumuolutus Anguis, sinistram sinistræ tenenti speculum. Ad pedes autem accubantem habet Ceruum.

*Qui Reip. præsunt, duo Platonis præcepta teneant. vnum, vt vtilitatem Ciuium sic tueantur, vt, quidquid agant, ad eam referant, obliti commodorum suorum: Alterum, vt totum corpus Reip. curent; ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant.*

M. T. Cic.

*Sub effigie Innocentij Montij Card. Elogium in basi.*

Ambiguis. ludibundam. successibus
quid. Tu. Fortunam. vocas?
Testis. est. incorruptus

IN-

INNOCENTIVS. CARD. MONTIVS
NVNCVPATVS
Cui. illa. conſtanti. tenore. felicitatis. tractauit. aleam.
Alluſit. ſemper. Illuſit. nunquam
Arriſit, non. Irriſit.
Naturæ. credo. prouocata. ſplendore
quæ. præcelſum. humilioris. natalis. homini
impertiuit. ingenium.
Puerum. præclaræ. indolis. obſcuræ. familiæ
Ioannes-Maria. Montius. Sipontinus. Antiſtes
Bononiam. Legatus. adminiſtrans
Bono. ſanè. omine. in. familiares. adſciuit
egregijs. moribus. honeſtis. literis. expolitum
ad. conſummatam. Ciuilis. Prudentiæ. laudem. informauit.
Pontifex. Romanus. creatus
quem. ipſe. geſtarat. ſacro. donatum. pileo
nomine. quoque. ac. ſtemmate. Montio. inaugurauit;
Non. debuit. tanti. alumni. virtus
digna. Orbis. theatro
alibi. quàm. in. MONTE. collocari
Vbi. æmulo. tantæ. gloriæ
CAESARE
dignaretur.

SYMBOLVM

Boues iugati aratrum, & cætera agriculturæ autumnali neceſſaria, cum lemmate: ARTE. MVLTIPLICI.

*Innocentius à Iulio III. Montio educatus, ac Rom. purpura inſignitus, in familiam cooptatur.*

EPIGR.

Hæc, quæcunque vides in me ornamenta nitere,
Splendida ſunt MontI munera lata mihi.
Is mores formauit, opes aggeſſit, & altum
Nomen: & eſt eius ſtemma, quod ipſe gero:
Maximus euaſi: quid enim iactare pudebit?
Ecquis conſcenſo monte puſillus erit?

*Dist. de eodem.*

Ne mirere meos ſepteno in colle triumphos:
Montus Atlantiacum me iubet eſſe iugum.

*De Iulij III. Pont. Max. munificentia ad Innocentium Montium, & Card.*

HEXASTICHON.

Te quoque ſublatum cumulauit MONTVS honore:
Ex puero mira reddidit arte virum.
Faſcibus admouit Latijs, & murice texit
Auſonio: Gentis nobile ſtemma dedit.
Te Montem erexit, Montos dum ceſſit honores:
Quàm clara ex iſtis Montibus vmbra cadit?

*Ad eundem Tetraſtichon.*

Dat tibi largus opes tenui, dat nomina Montus
Ignoto, mentem dat ſenis & puero.
Nec ſatis. Auſonij dat iura verenda Senatus:
Quantus ſub tali ſidere natus eras?

*Innocentius Montius Card. dignitatem ſuam Iulio III. P. M. acceptam refert.*

HEXASTICHON.

Non ſi Threicijs iungat mea carmina neruis,
Grates pro meritis Muſa referre valet.
Artibus excello per te, virtute coruſco,
Affluo fortunis, murice & eniteo.
Per te conſpicior, per te ſum grandis in Orbe,
Emineo per te, Montie, factus Atlas.

DISTICHON.

Ater humor, radiem quòd mille coloribus Iris,
Sol mihi dat roſeo Iulius ore beans.

MAGNA-

# MAGNANIMITAS

*Magnanimitas res modò sublimiores ante oculos sibi proponit.*
S. Isid. Pelus.

## ICON.

Mulier in purpura, Regioque diademate, sedens, sceptrum dextera tenēs: sinistra, cornucopiæ deorsum versò, aureorum nummorū vim magnam effundens: leone accubante.

*Decet eos, qui natura, & non fortuna magnis animis sunt, præclara suscipere facinora.*
Isocr.

*Sub Vrbani VIII. effigie.*
*Elogium in basi.*

VRBANVM. VIII. BARBERINVM
Pont. Opt. Max. idcirco. Maioribus. tuis. asserimus
CAESAR. MONTIE
quòd. Te. Purpuratis. suis. inseruit.
Vèl. in. hoc. Magnanimus. Pontifex
quòd. Vrbem. Vrbiū. Maximā. Te. adoptato. Maiorē. effecit.
et. imposito. Collibus. Monte. veteris. fabulæ. miraculum
superauit.
Vrbanam. quis. dixerit. Barbariem
quòd. Te. carissimæ. eripuit. Patriæ
mox. vt. auctum. honoribus. restitueret.
Non. poterat. Vrbanus. amore. Montis. non. capi
Septicollis. Vrbis. amœnitate. beatus.
Cæsarem: ad. Orbis. natum. Imperium
sua. impertiuit. Purpura. Non. donauit.
Viam. patefecit. Non. fecit. ad. Solium.
Sed. ab. Anno. labentis. Seculi. Vicesimo. nono
Cardinalem. gestauit. in. pectore:
Tricesimo. Tertio. renuntiauit.
Iam. inde. eras. in. albo. purpuratus
Purpura. tibi. deerat. Non. tu. Purpuræ.
Magnum. ille. pariturus. fœtum
Grauem. diutiùs. gestauit. aluum.
Mora. longior. expectationem. auxit. Triumphi
expectatio. lætitiam.

## SYMBOLVM

Liquor ex vuæ racemo expressus, & effusus in mari, cum Naui mox soluente, & velificante. Religio vetus fuit, vt nauigationis felicis gratia libaretur mustum Neptuno. lemma: MAGNA . PERERRATO . STATVES.

*Magnanimitas Vrbani VIII. Barberini Pont. Max. in adoptione Cæsaris Montij Card.*

### EPIGR.

Pastor maxime, Principumque Princeps
VRBANE, ò Pater alme, lux & Orbis:
Cùm tot iam tibi plauserint Trophæa,
Tollentes tot ad astra culmen Arces,
Tot surgentia tecta, tot columnæ,
Tot Delubra Deum, modique docti:
Nil MONTO tibi grandius Trophæum.

*Ad Vrbanum VIII. de Cæsare Montio Cardinale cum allusione ad Apes Barberini stemmatis.*

Dum roseo per te Montus decoratur amictu,
Maior fit mentis nuntia fama tuæ.
Iam sileat Vates: Apis hæc nam trina laborans
Mellificatque alijs, mellificatque sibi.

### ALIVD.

Vrbane ò Princeps, totus quem suspicit Orbis,
Vrbis ab Imperio nomine dicte graui:
Maxima posteritas inter monumenta reponet,
Quæ per te Montus nomina clara tulit.
Hactenus in placido Capitolia Colle patebant;
Nunc Mons æthereus dat tibi in axe thronum.

*Cæsar Montius ex nobiliss. Collegio I. C. Mediolan. ad Nuntiaturam, Patriarchatum, ac Rom. Purpuram ab Vrbano VIII. euehitur.*

*EPIGR.*

Hic, vbi Phœbæo vernabat laurus honore,
Apricum varius flos miniauit agrum.
Pallentes violas, albentia cerne ligustra,
Et pubescentes crine rubente rosas.
Quis, nisi Sol, nostrum depinxit floribus agrum?
Vrbane ò, Salue, Phœbe benigne mihi.

*Ad Vrbem Romam de Cæsare Montio Cardinali creato.*

*EPIGR.*

Amphitheatra tuis passim nascentia campis
Roma Latina sile:
Atriaquè excelsis circùm suffulta columnis
Nobile Ciuis opus:
Cæsaris insano surgentem vertice molem
Tollere in astra sine.
Æmula siderei neu iactes limina Templi
Aurea tecta Iouis.
Altior eueheris, celsis nunc improba Colles
MONTIBVS accumulans.

*Vrbanus VIII. Romanæ magnificentiæ typus in Cæsaris Montij Card. adoptione.*

*EPIGR.*

Extollant aliqui puris resonantia lymphis
Ostia, & Euripos arte iocante vagos.
Lemmata subiectis inscripta hic fontibus ornet;
Lemmata, Musa quibus murmura cantat aquæ:
Ille renascentes Diuorum prædicet Ædes:
Surgentisque Arcis concinat iste iugum.
Vrbane, his equidem Princeps generosus haberis,
Vrbis supremo dignus & imperio.
Collibus at MONTEM qui te peperisse videbit,
Vrbis te verum concinet esse Patrem.

* *Vrbani VIII. Barberini memoriam illa in primis immortalem fecere, superiore perstricta Epigrammate; Fontes in Monte Pincio, in hortis Vaticanis extructi: Carmina inibi inscripta: Templa instaurata SS. Caij, & Bibianæ: Ars Vrbana in agro Bononiensi funditùs excitata: Adriana moles in Vrbe maximis munita propugnaculis: Odeum Basilicæ Vaticanæ insano sumptu, ac Regia magnificentia exornatum.*

## HYEMS

*Cuius Schema effert Distilcho propositionem huius Membri, videlicet.*

INSVBRIAE. DAT. HYEMS. CANAM. TIBI. FRIGIDA. MITRAM.
COMMVNE. IMPERIVM. CVM. IOVE. CAESAR. HABES.

*Sequitur Hyems colossica, specie anili, sed graui; in paludamento, ac de pelle muris pontici emiphorio, sed & pellicea calantica caput tecta, dextera sacrum Pedum, cum Mitra, palliòque Archiepiscopali, sinistra verò ardens in acerra thus, atque in fumum euadens, cum Epigrapha in Stylobate:*

## HYEMS ARCHIEPISCOPATVS TYPVS.

*De Archiepiscopatu generatim*
*EMBLEMA*
*Alcyone in mari nidificans.*

Cùm fouet Alcyone brumali frigore pullos
    Fluctibus in medijs humida strata premens:
Non fragor auditur Boreæ, non sibilus Austri:
    Gurgite sed placido tuta quiescit Auis.
Dixeris, imperium pelagi cessisse volucri,
    Diuisa aut liquidum sceptra tenere Deum.
Haud secus, ætherea nuper quos Forte petisti,
    Insubriæ genios, inclyte MONTE, foues.
Æolus horrisono quamuis perflaret ab Axe,
    Et minitaretur funera sæua rati:
Tu tamen aduentans iussisti stare procellas,
    Spumosa & leni stagna quiete frui.

SYMBOLVM

Sol sub signis Zodiaci hybernis, niuem in colle liquefaciens, cum lemmate: NATA. ET. PARENS.

*De Cæsare Montio Archiepiscopo Mediolanensi, dequè obitu immaturo M. Antonij Fratris, Regij Senatoris.*

*EPIGRAMMA.*

Par iuuenum felix, soboles lectissima Montæ
Antoni, Cæsar, flosque decusque domus,
Vna ambos gremio fouit, formauit & ambos
Patria, quos genuit, mox habitura Patres.
Clara sed amborum crescit dum fama per orbem,
Et fasces geminos impigra vtrique parat.
Heu, cur Antoni, subitò tua lumina claudis?
Parca, reor, Soles inuidet esse duos.

SYMBOLVM

Sub hyemalibus signis Zodiaci, laurus, nudatas inter arbores frondens, cum lemmate:
VICTRIX. TEMPORIS.

*Cæsar Montius Archiepiscopus, & Cardinalis tranquillitatem portendit Ecclesiæ Mediolanensi.*

*TETRASTICHON.*

Murex quòd Tyrius, Cæsar, tibi pinxit amictum,
Imperium pelagi prædicat esse datum.
Ergo, feri ò flatus, Regi parete iubenti;
Maturate fugam, mobile stetquè salum.

*De eodem Federici Borromæi Card. succesſcre in Archiepiscopatu Mediol.*

*ALIVD.*

Romæo deuota Patri vrbs, & Roma secunda
ROMÆO plausit Præsule recta BONO.
Cæsari at vt sensit fasces decernier vrbis:
Quò mihi Ciuis (ait) si mihi Cæsar adest?

SYM-

SYMBOLVM

Sub Capricorno cælesti fasciculus pulegij de clauo pendens, & florens, lemma: RECISA. FLORET.

*Cæsar Montius Archiepiscopus in Patria.*

HEXASTICHON.

Quàm benè Stella suo radiata coruscat in orbe?
Clausa suo in loculo quàm bene Gemma nitet?
Quàm benè natiua stat candidus Vnio concha?
Arbor & in patrio quàm bene vernat agro?
Cæsar aue, ò carum Sidus, Gemma, Vnio, & Arbor:
Patria quàm gestit luce beanda tua?

*De M. Antonij Senatoris obitu, cum allusione ad Cæsarem fratrem Archiepiscopum in patria.*

TETRASTICHON.

En morior: cogunt sic fata fauentia fratri.
Me minui, ast illum crescere auara iubent.
Si mea non claudam, non is sua lumina pandet,
Nec nisi Sol oriens, Luna abeunte, redit.

*Subdiuisio Membri per Epigrapham solutam.*

Non. tibi. infesta
HYEMS
CAESAR. MONTIE
Quæ
suas. largiùs. opes. impertit
MONTIBVS.
Non. sterilis
Quæ. ipso. alit. gelu. surgentes. fruges
niuibus. fouet. coquit. pruinis.
En. vt. bellè. tibi. candidat
Insubricam. Tiaram. cum. Pallio
Quo. enatas. in. te. nepote. Maiorum. segetes
Eruditionem . Beneficentiam
Charitatem . Vigilantiam
opportunè. obtegens
feliciorem. subnascentis. Anni. foueat. messem.

ERV-

## ERVDITIO

*Oculo corporis Episcopum aduertimus significatum: qui clara fidei suæ, ac doctrinæ prædicatione velut oculus quidam, Ecclesiæ corpus illuminat.*
Chromantij Episc.

*ICON.*

Mulier decenti habitu, calamum scriptorium dextera, lucernam accensam læua, codices varios ad pedes habens apertos, clausos.

*Quemadmodum mœnia Ciuitatibus, sic Animi mens per disciplinam exculta, decus & munimentum præstat.*
Democr.

---

*Sub Petri Montij Episcopi imagine.*
*Elogium in basi.*

---

Alterum. Gens. Montia
PETRVM
sed. alio. fulgens. lumine. sidus. ostentat.
Ille. Melitensis. militiæ. Imperator. Maximus
pro. Christiano. vexillo. deuouit. caput
Deuotionis. ipse. vexillum. explicans:
Hic. Brixiensi. Sacerdotio. clarus
Sacerdotij. splendorem
et. Sacram. Rom. Imperij. Maiestatem
suo. illustrauit. ingenio.
Debet. vtriusque. Petri. pijs. Manibus
vniuersa. Christi. Resp.
vnius. armis. et. ferro: scriptis. et. stylo. alterius
acerrimè. propugnata.
Viuent. sanè. æternùmque
in. oculis. admirantium. viuent
Trophæa. Melitensia. Monumenta. Brixiensia
Cæsarianis. Aquilis. Romanis. Clauibus. dignissima.
Quot. tibi. CAESAR. tua. de. Gente. Imperij. auspicia?
Alter. ex. pietate. PETRVS. Ex. eruditione. alter. ominantes
In. vtroque. CAESAREM. prædicant
Ex. vtroque. PETRVM. prædicunt.

---

SYM-

SYMBOLVM

Montoſa, & plana magnis operta niuibus; in queis diſpoſiti lapides indices viæ. Id in Noruegia viſitur, alijſque paſſim oris Septentrionalibus, cum lemmate,
PER. INVIA. VIAM. MONSTRANT.

*Petrus Montius Epiſc. Brixien. Vir diſſertiſſ. Author operum de Concilijs General. Poteſtate Rom. Pontificis. Cardinalium dignitate ac origine, & poteſtate Imperatoria.*

*EPIGR.*

*Cum alluſione ad Cæſarem Nepotem Archiepiſc.*

Hic docto præcepta ſacris dat cœtibus ore,
Pontificis Latij iura ſuprema docet.
Explicat Auſonij maieſtatemque Senatus:
Cæſaris & quæ ſint ſceptra verenda ſacri.
Qualis hic eſt, tantos Proceres qui perdocet Orbis?
Maiore è tali quantus at iſte Nepos?

*Ad Petrum Montium Epiſc. Brixienſem Scriptorem eruditiſſ.*

*HEXAST.*

Alma parens, altrixque virûm Gens Montia, alumnum
Te meritò iactat, Petre, ſuperba ſuum.
Cui ſpatium licet exiguum Virtutis iniqua
Fors dederit, maius poſt fera fata paras.
Perge, Heros, proferre ſtatim monumenta ſagacis
Ingenij: fati, nomine, victor eris.

*Ad eundem aliud cum alluſione ad ſcripta de Pontificia, & Cæſarea Poteſtate.*

Tanta tibi doctæ laus eſt, & gloria frontis,
Quantam, qua fulges, Infula ſacra probat.
Te tamen & maior moliris maxima chartis
Tradere, vbi Petrus, Cæſar & ipſe legat.
Brixia (macte) tibi fuit hactenus vna Theatrum;
Inde theatralis machina Mundus erit.

*De eodem Aliud cum auspicio ad Cæsarem Montium gentilem.*

Ioniade Petro Terræ, Cælique potenti
Claues Ars geminas relligiosa dedit.
Petro sed nostro geminum ius ritè docenti
Claues cur geminas grata Minerua neget?
Sed quas ius Petro danti fera fata negarunt,
Fatorum victor, Cæsar, in Vrbe geres.

*Petri Montij Scriptoris eruditiss. Tumulus.*

Regna, Mitræ, Pilei, Diademata serta maniplis
Hæc fuerint tumuli, Petre, trophæa tui.
Nam tua quòd laudem cunctis monumenta tulerunt,
Laudis ea æternæ sunt monumenta tuæ

*ALIVS.*

Hac Petri cineres arcta clauduntur in vrna,
Claudere quem grandis pagina vix potuit.
Organa muta silent; sed enim vox ampla resultat:
Aula Petri hac reboat, Cæsaris Aula tonat.

## BENEFICENTIA

*Benefacere homini est beneficium magnum apud Deum deponere.*
S. Io. Chrysost.

*ICON.*

Mulieris vertici insidens pansis alis Aquila; geminum cornucopiæ hinc inde ad brachia, aureorum vim à dextero effundens, pomis omne genus in læua continens.

*Magnificum & ingens, nulla quod rapiat dies, prodesse miseris: supplices fido lare protegere.*
Sen. Trag.

Sub

*Sub effigie Hieronymi Montij Senatoris.*
*Elogium in basi.*

Nulla. Gentilium. Heroum. effigies
merito. maiore. quàm. tua
in. hoc. Montiano. Theatro. ſpectatur
HIERONYME. MONTIE
Senator. Ampliſſime
Beneficentiæ. laude. inter. Maiores
longe. ſpectabilis.
Qui. non. modò. viuus. operam. laboranti. Patriæ
Præſes. Sanitatis. impendiſti
Sed. perennaſti. mortuus. in. M. Antonio. Nepote
inuidia. fatorum. maior.
Opulentam. ratus. Fortunam. opem. alijs. ferre
hereditariam. poſteris. tranſmiſiſti
ne. de. te. vnquam. ſileret. poſteritas
quem. nunquam. interpellata. in. poſteris. officia
prædicarent. Authorem.
Debet. gratiam. Epidimiæ. Patria.
quod. Ciui. beneficentiſſimo. campum. aperuit
incommodis. multò. minoribus. affecta. quàm. commodis.
Sed. et. tranquillis. temporibus
pleno. defluxere. alueo. tua. beneficia.
Horum. id. Maximum. Quòd
CAESAREM. NEPOTEM
Patrem. reliquiſti. Patriæ
Clementia. Cæſarem
Beneficentia. Alexandrum.

## SYMBOLVM.

Arua niuibus adoperta: cum lemmate:
OPPORTVNE. FOECVNDAT.

*De Hieronymo Montio Senatore, & Præside Sanitatis, ac de Cæsare Nepote Archiep. Mediol.*

*DISTICHON.*

Corpora curat Auus. Geniorum eſt cura Nepoti:
Diuiſum imperium quàm bene Amoris habent!

---

*Ad M. Antonium Montium Senatorem & Præſidem Sanitatis. de Hieronymo Auo Senatore item, ac Præſide San.*

*OCTOSTICHON.*

Hieronymus, cùm te ſpecto, mihi, MARCE, videris:
Marcus, cùm ſpecto Hieronymumque tuum.
Fulget vterque graui conſcriptus in Ordine Patrum,
Seruandæ & faſces Vrbis vterque gerit.
Dulcibus ambo vouent fatale Penatibus æuum,
Prodigus & Patriæ ſacrat vterque caput.
Cur dicam binos, alio licet ordine ſæcli?
Vnus diuerſo tempore Sol oritur.

---

*In Imaginem Hieronymi Montij Præſidis Sanitatis cum alluſione ad eius Authorem.*

*HEXASTICHON.*

Hieronyme, hæcnè tui ſpirans eſt oris imago?
O cari effigies cara Patris Patriæ!
Illenè iactatis quondam tu ciuibus vnà
Sidus, tu ſtatio, portus, & alma quies?
Plaude, io: Per te Ciuis quòd vixerit olim,
En vt per Ciuem tu rediuiuus ades.

---

*Ad Hieronymum Montium, & Cæsarem Nepotem Senn. & Præſſ. Sanit.*

*HEXASTICHON.*

Quid ni vos Montæ cariſſima pignora gentis
Inſolitis plaudat noſtra Camœna modis?
Difficili patriam ſeruaſtis tempore ſedem;
Territa ſunt veſtro fata ſupercilio.
Si redeant antiqua Viros quæ ſecla ferebant
Sideribus; trinus Phœbus in Axe foret.

*Ad eundem Hieronymum cum alluſione ad Cæſarem.*

Defueras laribus fato ſublatus acerbo,
Hieronyme: Heu tecum defueratque ſalus.
Sed Patriam miſeratus ades reuocatus ad auras,
Inque tuo viuus iura Nepote foues.
Vnum quis toto Phœnicem tollat ab Orbe?
Ecce Nepos viuit, qui modò vixit Auus.

*Hieronymi Montij Tumulus.*

Hieronymi MontI hic tumulus; quem morte peremptum
Inuida fata iubent, inclyta facta negant.

## CHARITAS

*Omnium virtutum opifex Charitas, cuius natura ſatietatem neſcit.*
S. Io: Chryſoſt.

*ICON.*

Mulier erectis luminibus, admota ad pectus dextera geſtans figuram prægrandis cordis, quod ſupernè exardet in flammas: ſiniſtra verò demiſſa prouolantem ad ſe puellum prehenſans.

*Pietatis in Patriam tanta vis eſt, vt aliqui ſalutis ſuæ impendio teſtati ſint.*
Val. Max.

*Sub effigie M. Antonij Montij Senatoris.*
*Elogium in basi.*

Epicedia. tibi. pangimus
CAESAR. MONTIE
dum. Fratri. desideratissimo
MARCO-ANTONIO
Epinicia. decernimus.
Princiualle. Patre. Senatore
Hieronymo. Auo. Senatore. ac. Præside. Sanit. ortus
Senator. ipse. et. Sanit. Præses
inclytus. Patris. æmulus. extitit. victor. Aui.
Diuerso. epidimiæ. incendio
triumphauit. incolumis. Auus
Nepos. in. vestigio: inuictus. occubuit.
Ex. Feretro. Currum
Ex. Pyra. Trophæum
Ex. Tumulo. Triumphum
faciens.
Occidit. mortalis. vitæ. Sidus
in. Æternæ. Famæ. exoriturum. Templo
vt. ferales. inter. cupressos. longæua. laurus. vernet.
Pátere. CAESAR. refricari
antiquum. sed. acerbum. adhuc. vulnus
plùs. Patriæ. quàm. Tibi.
Tu. Fratrem. lectissimum. amisisti
Patria. Patrem. optimum
qui. vitam. pro. ipsius. pactus. est. vita.
Hoc. vno. iactura. mitior
quòd. germanam. germano. tibi. virtutem
transmisit.

SYM-

SYMBOLVM

Æthna Mons, radice virente, niuoſo dorſo, ardente iugo. cum lemmate: IN. HYEME. ÆSTAS.

*De Cæſare Montio Archiepiſcopo Mediol. & M. Antonio Senatore fratre, defuncto.*

*DISTICHON.*

Marcus adit Cælum: Terræ moderamina Cæſar:
Orbis vterque ſibi diuidit Imperium.

*Ad Cæſarem Montium Archiep. Ex M. Antonij fr. obitu Auſpicium.*

Tu, Cæſar, Phœbus: Marcus ſed Luna: peregit.
Heu citus ille orbem: Tu magè lentus ages.

*M. Antonius Montius Præſes Sanitatis, patriæ charitatis typus.*

*TETRASTICHON.*

Marce, alios ſeruans, quòd te citò perdis: iniqua
Fatanè culpabo, an Te querar eſſe Tibi?
Vna ſed hoc diæ mentis fert inclyta virtus,
Vt te des alijs, te tibi, Marce, neges.

*De Cæſare Montio Archiepiſcopatum Mediol. adeunte & M. Antonio Sen. fratre defuncto.*

*HEXASTICHON.*

Auguſto Patrum conſcriptus in ordine Marcus
Occidit. O ſæuæ Parcæ inimica manus.
Patria triſtis adhuc funus deducit acerbum:
Mulceri reditu nec potis ipſa tuo eſt.
In te quin relegens germanos, Cæſar, honores
Heu ſibi viſa dolet bis viduata Patre.

*M. An-*

*M. Antonius Montius Præses Sanitatis, grassante lue extinguitur.*

EPIGR.

Funereas tota dum debacchatur in Vrbe
Effundens strages faucibus atra lues:
Fascibus instructus summis ius dicit in ægra
Corpora, solicitus Marcus amore laris.
Cùm strictam aspiciens demitti ex æthere falcem,
Inuisi vt sontes crimina fœda luant:
Me simul ah (clamat) iustissime corripe vindex:
En Reus & Iudex factus vterque reus.

*De eodem Endecasyllabum.*

Marcus gloria nobilis parentum
Marcus lux Patriæ nitens amœnæ
Marcus fax Equitum ordinis coruscans
Marcus Maiugenæ potens alumnus
Marcus melliloqua quem fouet Suada
Marcus voce Tyrinthia potitus
Marcus Pieridum sodalis arctus
Marcus præsidium decusque Iuris
Marcus patritij iubar Senatus
Marcus cura Deum, laborque solers.
Marcus cur ita raptus est repente?
Marcus deliciæ (heu) dolorque Ciuis.

VIGI-

## VIGILANTIA

*Pastor adiungit noctes diebus, & totum sibi tempus denegat dormiendi: nequa lupis, suffragante somno, grassandi in gregem praebeatur occasio.*
S. Petr. Chrysol.

### ICON.

Dextera lucernam accensam Mulier gestans, sinistra Gallum gallinaceum attollens.

*Non votis aut precibus muliebribus auxilia Deorum parantur; Vigilando, agendo, bene consulendo prospera omnia cedunt.*
Cato Vticen.

*Sub effigie Federici Borromaei Card. & Archiepiscopi cum insignibus, scilicet Mitra; & Pallio Archiepiscopali.*
*Elogium in basi.*

Agnosce. Patrem. Patria
Agnosce. excelsi. oris. maiestatem
rosei. vultus. decorem
serenæ. frontis. clementiam
FEDERICVS. BORROMAEVS. HIC. EST
desideratissimus. Præsul
fato. functus. et. superstes. extinctus. et. vigil
receptus. Cælo. nec. Terris. ereptus.
nomine. præsens. et. numine.
Abijt. enim. non. Obijt
et. inter. soporem. funeris. Pastor. optimus
adhuc. agit. excubias.
Ætheris. alta. petens. in. MONTEM. deduxit. gregem
quò. propiùs. tueretur. et. pasceret.
Pollux. occidens. excitauit. Castorem
et. BONO. ROMAEO: CAESAREM ipsum
suffectum. voluit.
Erigere. Patria
Federicus. tuus. rediuiuus. adest
Talem. Tibi. Præsulem
Talem. sibi. Successorem. gratulaturus.

SYM-

SYMBOLVM

Templum Vestæ ignem exhibens in Ara accensum, de nocte micante sideribus Cælo. cum lemmate: ÆMVLA. SIDERVM. VIGILAT.

*Vigilantia Federici Borromæi Card. & Archiep. Mediol. in successione Cæsaris Montij.*

*HEXAST.*

Vita cadis, lux nostra cadis, Federice, tuisque
Luminibus clausis Patria cæca iacet.
Ecqua, nisi in Monto, fuerat spes certa superstes:
In Monto miseri Ciuis honore sui?
Dum vigil astra petis, niteas vt luce perenni,
Nos iuuat ex isto cernere Monte iubar.

---

*Federici Borromæi Card. & Archiep. Mediol. Vigilantia ex Templis, ac pijs AEdibus excitatis.*

*HEXAST.*

Cur, Federice, putem fato cogente, soporem
Lumina lethæum corripuisse tua?
Aspice, quot vigiles tolluntur ad æthera moles:
Æmula siderei quot monumenta poli.
Si duo Parca premit tibi lumina, mille recludis:
Dumque putat cæcum, peruigil Argus ades.

---

*Ad Federicum Borromæum Card. & Archiep. De Cæsare Montio successore.*

*ALIVD.*

Lethali cùm stricta gelu tua membra iacerent,
Tollebat querulos Patria in æthra modos.
Ast vbi suspexit suffectum in munere Montum,
Abstersit madidis ægra fluenta genis.
Cur gemat? ecce tuos in Montum effundis honores:
Hoc vigil, hoc felix viuere monte potes.

*Ad Cæsarem Montium Card. Federici Borr. in Archiepiscopatu successorem.*

*DIST.*

Cæsar adis: abiens cedit Federicus honores:
Cum paribus pangunt fœdera ritè pares.

*Ad Federicum Borr. Card. & Archiep. Vigilantiss. de Cæsare Montio successore.*

*DIST.*

Te quoque post fatum, vigilem Federice stupebo,
Vrbem quòd patriam Monte locare scias.

*Ad eundem aliud.*

Heu facinus: Patrem Patriæ petit inuida Clotho;
Et miseris raptum te, Federice, secat.
Ergonè quæ vigili semper patuere labore
Claudi nunc subitò lumina Parca iubet?
O mea tu saltem redeas lux fulgida, Monte,
Tu subeas Pollux, Castor ab axe cadit.

*Clausulam fecere Theatro Temporaneo Elogia duo Emblemate interposito, laudes Gentilium Montiorum simul, & Cæsaris perstringentia, videlicet;*

*ELOGIVM I.*

QVAE
Loco. Æuo. Personis. distracta
Heroicarum. Virtutum. Insignia
Mortalium. admirationem. habuere
Tu. Princeps. inclyte
in. Te, vno. colligens
sub. vnum. oculorum. obtutum. ponis. vniuersa
Vt. Ætas. nostra. instar. se. esse. Ætatum. omnium. glorietur
quæ: omnium; AEtatum. admirationem
in. Te. vno. suspiciendo. complectitur.

## SYMBOLVM

Templum Vestæ ignem exhibens in Ara accensum, de nocte micante sideribus Cælo. cum lemmate: ÆMVLA. SIDERVM. VIGILAT.

*Vigilantia Federici Borromæi Card. & Archiep. Mediol. in successione Cæsaris Montij.*

*HEXAST.*

Vita cadis, lux nostra cadis, Federice, tuisque
Luminibus clausis Patria cæca iacet.
Ecqua, nisi in Monto, fuerat spes certa superstes:
In Monto miseri Ciuis honore sui?
Dum vigil astra petis, niteas vt luce perenni,
Nos iuuat ex isto cernere Monte iubar.

---

*Federici Borromæi Card. & Archiep. Mediol. Vigilantia ex Templis, ac pijs AEdibus excitatis.*

*HEXAST.*

Cur, Federice, putem fato cogente, soporem
Lumina lethæum corripuisse tua?
Aspice, quot vigiles tolluntur ad æthera moles:
Æmula siderei quot monumenta poli.
Si duo Parca premit tibi lumina, mille recludis:
Dumque putat cæcum, peruigil Argus ades.

---

*Ad Federicum Borromæum Card. & Archiep. De Cæsare Montio successore.*

*ALIVD.*

Lethali cùm stricta gelu tua membra iacerent,
Tollebat querulos Patria in æthra modos.
Ast vbi suspexit suffectum in munere Montum,
Absterſit madidis ægra fluenta genis.
Cur gemat? ecce tuos in Montum effundis honores:
Hoc vigil, hoc felix viuere monte potes.

Ad

*Ad Cæsarem Montium Card. Federici Borr. in Archiepiscopatu successorem.*

*DIST.*

Cæsar adis: abiens cedit Federicus honores;
Cum paribus pangunt fœdera ritè pares.

*Ad Federicum Borr. Card. & Archiep. Vigilantiss. de Cæsare Montio successore.*

*DIST.*

Te quoque post fatum, vigilem Federice stupebo,
Vrbem quòd patriam Monte locare scias.

*Ad eundem aliud.*

Heu facinus: Patrem Patriæ petit inuida Clotho:
Et miseris raptum te, Federice, secat.
Ergonè quæ vigili semper patuere labore
Claudi nunc subitò lumina Parca iubet?
O mea tu saltem redeas lux fulgida, Monte,
Tu subeas Pollux, Castor ab axe cadit.

*Clausulam fecere Theatro Temporaneo Elogia duo Emblemate interposito, laudes Gentilium Montiorum simul, & Cæsaris perstringentia, videlicet;*

*ELOGIVM I.*

QVAE
Loco. Æuo. Personis. distracta
Heroicarum. Virtutum. Insignia
Mortalium. admirationem. habuere
Tu. Princeps. inclyte
in. Te, vno. colligens
sub. vnum. oculorum. obtutum. ponis. vniuersa
Vt. Ætas. nostra. instar. se. esse. Ætatum. omnium. glorietur
quæ. omnium; AEtatum. admirationem
in. Te. vno. suspiciendo. complectitur.

*Emblema. Equus Troianus, latere adaperto, & vacuo.*

Non temerè expandit vacuum latus improba moles,
Diruta quam sensit milite Troia grauem.
Ingenio Heroas claros, Martisque triumphis,
Murice & insignes Gens tua fœta tulit.
Instar Montis Equum miratur Teucer anheli:
Ecce hìc Mons, Teucri tollitur instar Equi.
Sed patula expellit, quos pertulit hactenus, aluo:
Vnus tu potis es, MONTE, replere sinum.

## ELOGIVM II.

Immortalitati
FAMILIAE MONTIAE
ter. Maximæ, Clarissimæ. Florentissimæ
Heroum. parentis. fœcundissimæ
Senatorum. Equitum. Imperatorum. Antistitum
primæ, notæ. atque. nominis
Altricis. Inclytæ
Q V AE
postquàm. in. serie, temporum, immemorabili
inter. Fasces. Chlamydes, Insulas. Purpuras. Regna
nunquam. Gentiles. suos, non. agnouit:
Sacros, Profanosque. Magistratus. summis. Viris, adiuuit:
Regia. Consilia. Religiosos, ordines
Romanum, Senatum
Magnis. Capitibus. auxit:
Exercitus. florentissimos. Tribunis, instruxit
Imperatoribus. muniuit:
Historias, omnium. nationum. impleuit. victorijs
Prouincias. Triumphis
Orbem. fama, atque. nomine.
Nostro. denique, seculo
CAESAREM. MAGNVM
tulit

Nun-

Nuntium . Patriarcham
Cardinalem . Archiepiſcopum
In . Quaternis . Cæſarem
dignum . familiæ . ſucceſſorem
auitæ . gloriæ . heredem . magnanimum
amplificatorem . glorioſiſſimum
O R D O
Clericorum . Regul. S. Pauli
tantæ . gentis . ornamenta . ſuſpiciens
tanti . Principis . dignatus . conſpectu
admirationis . ſimul . ac . obſeruantiæ
Teſtimonium . hoc . P.

*Fortunata Arbor, ſeclis firmata vetuſtis:*
*Ramis plena omnis tellus eſt, fructibus æuum:*
*Fructum nunc omnis tellus miratur & æuum.*

## CORONIS THEATRI. TEMPORANEI

*ſeu Auſpicia ſummi Pontificatus Eminentiſſimo Cæſari Montio Cardinali.*

### ELOGIVM.

CAESARI . MONTIO
Mediolanenſi
ex . Auo . Patre . Fratre . Patritio
Apoſtolicæ . Sedis . Tertiùm . Nuntio
Patriarchatu
Archiepiſcopatu
Vaticana . Purpura
In . Tribus . Vno
In . Vno . Tribus
inſignibus . fulgenti . Heroi
Ter . Maximo
AEmula . Virtutis . Fortuna
Artham . ſe . triplicis . honoris . obtuliſſe
non . exoluiſſe . debitum
teſtatur .

*Emblema. Templa duo, Virtutis & Honoris, vno aditu patentia. Hæc à Marcello Consule olim extructa Romæ visebantur.*

Romulidum constructa iugis, contermina muris
Bina petunt summum Templa superba polum.
Hic Virtus, ibi Honor, duo Numina iuncta coluntur,
Vnius est limen limen at alterius.
Nec potis est quisquam æterni penetralia Honoris
Quærere, Virtutis ni premat antè fores.
Iam tibi tota patet Virtutis ianua, Cæsar,
Factaquè Diuorum Templa, Theatra tui.
Ergo (patent postes) Templo succede propinquo:
Te manet Orbis onus, Te manet Vrbis honos.

*Aliud. Phœbus quadrigis rubentibus ad Cœli tendens fastigium.*

Cynthius vt rubris vectus super astra quadrigis
Vrget iter, summo firmet vt axe gradum:
Sic celer ad Petri culmen vestigia tendis,
Cæsar, cui cumulat Purpura sacra iubar.
Aspice consimili Gentiles murice claros
Quattuor, HIS. VEHERIS, sol velut actus equis.

*Allusio ad Nomen Proprium, & Gentilitium.*

*HEXASTICHON.*

Tu CÆSAR: tu MONS. felix ò nominis omen:
Sidere non poteras lucidiore dari.
Si Cæsar, totis victor dominabere terris:
Si Mons, pertinges sidera celsa iugo.
I, Cæsar: dabit Vrbs solium, modereris vt Orbem:
I, Mons: te septem Collibus ipsa colet.

*Vati-*

*Vaticinium ex Marone de Iulio III. Montio Pont. Max. & Cæsare gentili.*

Iulius è celſa naſcetur origine MONTA,
Imperium Cælo, famam qui terminet æuo:
Cæſari & emeritus tranſmittet iura Nepoti,
Vt redeant iuncto Saturnia nomine Regna.

*Ad Cæſarem Montium Archiep. Mediol.*

OCTOSTICHON AVSPICALE.

Viue diù: Ne viue diù, clariſſime Cæſar:
Tu, niſi Cæſar obis, non oriere Petrus.
Cæſar, obi citò; ne citò obi, cariſſime Cæſar:
Ah ſerus Patriæ, Cæſar, adeſto tuæ.
Quid precer? Vt viuas, obeaſ(?)è? hìc hæreo, Cæſar:
Clara tibi mors eſt, caraque vita tuis.
Eia, precor, nobis obeas, oriaris vt Vrbi:
Mors tibi, Cæſar, erit viuere, vita mori.

*De eodem, cum alluſione ad Nuntiaturam, Patriarchatum, & Purpuram.*

DISTICHON.

LILIA Ver VIOLIS nunc miſcet: ſerta ROSARVM
Nunc legit, vt fundat LILIA mixta ROSIS.

*Aliud cum alluſione ad Patriarchatum commutatum in Purpuram.*

LILIA nunc dat Flora: ROSAS nunc, LILIA tollens.
Prodiga mox reddet LILIA iuncta ROSIS.

*Emble-*

*Emblema. Ferculum Salomonis Regis descriptum in Canticis Canticorum.*

Aſpice Regali ſplendentia Fercula ſumptu:
Fercula munifico Ieſſide digna Duce.
Surgit opus Cedro: Argentum veſtitquè columnas;
Aurum puluinar: Purpura rubra gradum.
Hùc ſubit, aſcenſum Princeps calcanſque ſuperbus
Purpureum, Regno iura daturus adit.
Te manet hoc ſolium, Cæſar, modereris vt Orbem:
Ecce tibi vt ſternit Purpura læta gradum.

---

*DE EODEM TETRASTICHON.*

Vrbes eſſe ſuum ſeptem rixantur Homerum:
Omnis at Vrbs Orbis te proca, MONTE, ſuum:
Vna tamen victrix exiſtet Roma: triumphum
Inter & Vrbs Vrbes inclyta de Orbe feret.

---

VRBA-

## VRBANVS VIII. PONT. MAX.

*Cæsarem Montium Card. in Patriam Archiepiscopatu auctum proficiscentem alloquitur.*

### ELEGIA.

I, Patrios, Cæsar, resalutaturus amores,
Aurea complexu quos fouet Insubria.
I, nitido quamuis orbetur lumine Roma,
Et sine te iaceat pignore mœsta suo.
I tua tecta celer viduata reuisere: caro
Respiretque diù Patria Patre carens.
Fausta dies, Laribus quæ te reuocabit amicis,
Vrbis & antiquæ limen adire dabit.
Non ita ouans, spolijs oneratus Cæsar opimis
Expectata ferens sacra trophæa Ioui:
Eminus auratis Capitolia celsa quadrigis
Vt vidit, niueos solicitauit equos.
Cùm triuijs effusa vagis, effusa per agros
Turba, Triumphe canens, ingeminaret Io:
Victrices mirata oleas, cæsique Britanni
Aurea ferratis fixa trophæa iugis;
Imposita & plaustris ingentia pondera, gemmas
Torquibus intextas, quas Acesinus alit.
Praxiteles, parios dia quos arte poliuit,
Duraque Phidiaca marmora sculpta manu:
Vndique circumstat, celeres comitata quadrigas,
Ducit & ad celsi culmina Montis ouans.
Te quoque cùm dabitur venientem inducere nostris
Mœnibus, Insubriæ pignus habere tuæ:
Roma suo plaudet rediuiuo Cæsare: fasces
Subijcietque tibi post mea fata suos.
Nunc liceat, sacros modicùm lustrare Penates,
Mæstis quò redeat te redeunte dies.
Vtque redux puppim scandes, clauumque tenebis,
Visere nos (dices) Patria nostra, tuum est.

Πρὸς τὸν Καίσαρα Μόντιον
προσάγγελμα
Ἀρχιερωσύνης Ῥωμαΐας ἐξ ὀνόματος γνήσιος.

Δίστιχον

Μόντιον Ἰταλίη, Πέτρον δ' Ἕλλας σ' ὀνομάζει:
Πέτρον ὅμως σε καλεῖ καὶ ποτὲ Ἰταλίη.

*Huic, altero Disticho, alludit Latina Musa*
*ad ipsum Cæsarem.*

Ausonius MONTEM, PETRVM dat sermo Pelasgus:
MONTEM scande: PETRVM mox dabit Ausonius.

---

Προσημαίνεται
Ἀρχιερεὺς τῆς Ἐκκλησίας
ΚΑΙΣΑΡ Ο ΜΟΝΤΙΟΣ
Ἐκ τοῦ αὐτὸν εἰς Νούσκιον γεγονέναι

Τετράστιχον

Τρεῖς μάκαρες λαοί, εἰς οἳ τὸν ΜΟΝΤΙΟΝ εἶδον
Νούσκιον, Ἑσπερίης, Παρθενόπης τε δίας.
Τρεῖς μάκαρες γε βροτοί, καὶ τετράκις ὁππότ' ἐκείνῳ
Τρίπλοος ὁ στέφανος στῆται ἐν κεφαλῇ.

---

APPEN-

## APPENDIX
## Ad Theatrum Temporaneum.

*Duplex fuit Patribus Alexandrinis, Authore operis interprete, votum erga Cæsarem Montium: Vt veterem testarentur obseruantiam, Vt Antistitem colerent Sacrorum non modò, sed literarum. Siquidem & Templum Paræciæ sedes, & adiacens Gymnasium publicum ex institutione Archiepiscopum Mediolanensem agnoscunt Principem, Tutelarem. Dicandum itaque vtroque nomine donarium. Ergo ius Paræciæ in Templo constitit: tutelam Gymnasij altera Theatralis pompa monstrauit. Ibi quidem sacris in ædibus sacræ ornatæ sunt Dignitates: hic in palæstra literaria ipsa explicata Literatura est, nec ea sanè à Pietate distracta: quando hoc geminum decus in Cæsare nostro congrediens quandam AEtati nostræ præbuit, spectaculi formam dixerim, an miraculi? Quare in exitu Templi, quà tunc temporis patebat in Gymnasium aditus, surgebat Fornix, & quidem opere temporaneo, cum superiore Theatro colludens, cuius fastigium tollebat in sublime effigiem ipsius Cæsaris in purpura Cardinalitia, circumque ipsam ludentes Genios cum Insignibus eius sacris, Pileo rubro, Cruce Patriarchali, Pedo, Pallio, Mitra Archiepiscopalibus; Stylobaten hac distinguente Epigrapha.*

CAESARI
MONTIO
CARD. ET
ARCHIEP
SACRORVM
ET
LITERARVM
ANTISTITI.

*Superliminare fornicis dedicationem exhibebat Disticho, ad Virgilianum illud (vt in fronte superioris Theatri, singulorumque Membrorum) alludente, videlicet:*

LIMINE · LVSTRATO. TEMPLI. SVCCEDE, LYCEO
IMPERIVM. CAESAR. IVRE. VTRIVSQVE. TENES.

*Ad latera superliminaris duo hinc inde stabant symbolica Signa, innuentia argumentum, & membra noui Theatri: Nimirum Religio, & Ingenium. Illa in specie muliebri, Diadema impositum capiti, sublatum dextera Calicem cum Cruce, strictum sinistra sceptrum, obductam velo pertenui faciem, proculcatam pede hydram ostentabat. Hoc verò in specie virili Codicem gestans cum gemino Globo, Cælesti ac Terrestri, adstante ad pedes Aquila alas explicans. Supersedendum hoc loco putamus à describendo signa symbolica liberalium Artium, quæ in hoc Gymnasio traduntur, AEdiculis singula disposita. Nam fornicem subeuntes vocabat prospectus Statuæ Fundatoris grati animi ergo positæ in prealta basi cum hac Epigrapha.*

IO. BAPTISTA
ARCIMBOLDIVS
ACADEMIAE
ALEXANDRINAE
FVNDATOR.

*Inde pandebatur Vestibulum Elogio gemino, & carmine instructum, videlicet.*

ELOGIVM I.

Angustum
Augustus. Heros. Theatrum. subis
CAESAR. MONTIE
Familia. Virtute. Dignitate. Eminentissime
Te. enim
Auitis. ac. Proprijs. Insignibus. Triumphantem
Vrbs. Roma. excepit
Regnantem. Orbis. accipiet.
Occupasti. Terrarum. ambitum. sparsis. longè. latèque
Trophæis. Gloriæ.
Mox. Cæli. fastigium
Amplitudine. continges
Beatitudine. exæquabis.

ELOG.

ELOG. II.

QVOD
Virtutum. Tuarum
Interminatam. Magnitudinem
exiguo. concludi. Theatro
vides
CAESAR. MONTIE
iniquo. ne. ferto. animo
quod. æqua. fit. mente.
Vel. ipſam
Cæli. Terrarumque. immenſitatem
ſanctiſſimam. Naturæ. molem
quòd. in. vnius. dodrantis. anguſtias
Pictor. cogit
ſolertiæ. vertitur. non. audaciæ
Miraculo. non. Piaculo.
Ita
quò. anguſtius. ſpatium
eò. redditur. opus
auguſtius.

EPIGR. I.

Gloria Romani, Cæſar, lux alma Senatus,
Præſidium Inſubrici dulce, decuſque gregis:
Limine quòd modico excipiat te curta ſupellex,
Da veniam: tenues viribus iſta decent.
Exurgant alibi ſuffulta theatra columnis,
Et pateant altis atria liminibus:
Nos iuuat exiguas vires æquaſſe: iuuatque
Æquari meritis non potuiſſe tuis.

EPIGR. II.

Luminibus dignata tuis hæc Aula triumphat,
Purpurei ô cœtus inclyte MONTE iubar,
Hanc lubet ergo diem rubro ſignare lapillo:
Purpura cùm REGNVM fecerit, albus adeſt.

*Acceſſere carmina in Zoilum, parerga quædam, literariæ pompæ ſolemnia.*

Sidera pertingunt, quos præfers ſtemmate, Montes:
Sidera ſyncero, MONTE, labore petis.
Nec metuet, fictis quicunque hùc tendet in alis?
Dædalus aſcendens, Icarus inde cadet.

ALIVD.

Eſto procul, liuido qui frendis, Zoile, dente:
Scriptis ipſe meis Zoilus eſſe volo.
Alta cano (fateor) quibus impar noſtra Camœna eſt:
Sed, quòd res vincunt carmina noſtra, iuuat.
At mea ſi petulans ſuffundes ora pudore,
Iſte pudor fuerit Purpura grata mihi.
Perge liuor: perge ore fero lacerare: Quid hæres?
Impar, ſic fiet par, mea Muſa Viro.

*Frontem Gymnaſij decorabat hæc ſalutatio, communem exprimens ſenſum Patriæ.*

Salue Phœbe redux, roſeo radiate capillo:
Nox te abeunte fuit: te redeunte dies.

*Veſtibulo ſuccedebat atrium vario circùm Emblemate, Carmine, Elogio diſtributo, lætitiam Academicorum ex aduentu tanti Mecænatis conceptam ſignificans.*

*Emblema I.*

Pastores dimissis gregibus sub opaca Montis caute declinantes æstum, cantilenisque mulcentes. cum lemmate: MAIORESQ. CADVNT.

*Fistula, qua Chorus ingredienti Cæsari concinuit:*

CÆSARIS egregias recinat mea Fistula laudes,
Aulaque Parnassi reddat amica sonum;
Profert Ausonios Gens tua Consules:
Mentem dederunt Sidera viuidam:
Tempora cingit opaca laurus:
Pacis fœdera conseris:
Murice clarus ouas:
Effulges Trabea:
Clarus Apollo es.

## *ELOGIVM.*

EMINEBAS
CAESAR
familiæ. virtutisque. dignitate
inter. Municipes. tuos
Inter. quos. etiam
MONTII
nomen
EMINENTISSIMVM
præ. te. ferebas.
Vtquè. ampliùs
EMINERES
Purpura. Te. Ordinis
EMINENTISSIMI
adornauit.
Hoc. parum. ratus
EMINERE
Tibi. ipse. hodie. voluisti
cùm. tanta
Alexandrinos. Alumnos. Benignitate
EMINENTIA. TVA
complectitur.

*Emblema II.*

*Achates gemma apud Pyrrhum Epirotarum Regem.*

In nitido (si vera fides) splendebat Achate
  Numen Apollineum, Pieridumque chorus.
Sponte, licet modicis spatijs, insignia habebant
  Et Deus, & Musæ propria, quisque suum.
Sed iam Naturæ sileant miracula: Maius
  Prodigium, Cæsar, te veniente patet.
Angusto hoc omnis Parnassi turba theatro
  Clauditur, haud plectris despoliata suis.
Quid mirum? Terras qui complet Numine Apollo
  Tecta subit: subeat non celer ipse Chorus?

*Emblema III.*

*Memnonis signum in basi, excipiens radios solis orientis.*

Non te defixum teneat stupor, inclyte Cæsar,
  Arcimbolda tibi quòd ferat Aula melos.
An potis es Genijs inferre silentia lætis,
  Sidus adesse suum dum Latiale vident?
Ipse vèl è gelido consurgens marmore Memnon
  Fertur in Eoo Sole dedisse sonos.

*Emblema IV.*

*Orientem solem Auiculæ cantibus consalutantes.*

Aureus è pelago Phœbus cùm surgit Erythræ,
  Cæcaque siderea stamina luce beat:
Iunguntur pictæ volucres, ductantque choreas,
  Flauicomo vt soluant carmina grata Deo.
Sic dum purpureos, Cæsar, das cernere vultus,
  Palladia in dulces soluitur Aula modos.
Salue (ait) ò roseum sidus, quod lumine cuncta
  Pingis; picta quoque hæc, te sine, ficta forent.

*Emblema V.*

*Horologium Sciathericum in muro, expositum Soli.*

Luxque decusque meum, salue, ò, qui cuncta serenas:
Te sine caligo, te sine, Phœbe, fleo.
Si ferias, celso demittens spicula Olympo,
Non feries vitam, sed mihi dulcè feres.
Sed quid ego? nouus effulget iam Phœbus in Aula;
Picta nec in muro tempora imago notat.
Ecce nites, Cæsar, Paulinis visus alumnis,
Dum teris ambrosio limina docta pede.
Lumina dant vmbram radiantia Solis ab axe:
Sed tua dat clarum nobilis vmbra iubar.

EPIGRAMMA.

Verba dat elinguis paries, mutusque profatur,
Voce sonat, sensu gestit, vtroque carens.
Maiora his in te, Cæsar, portenta cientur,
In quo Maiestas, iunctus Amorque sedet;
Mutos illa iubet cum horrore silere penates,
Cogit hic in laudes currere sponte tuas.
Maiestate grauem tacitus venerabitur Ordo:
Carminibus facilem tollet ad astra suis.

ALIVD.

Bella coruscanti dis GEMMA includitur auro:
Bellus cæruleo PHOEBVS in Axe micat:
Bellum depictis splendet laquearibus OSTRVM:
Bellus FLOS viridi cespite vernat olens:
Bellaque per liquidum volitat miniata VOLVCRIS;
Bella replet Templum FAX radiata sacrum.
Bellior in nostro fulges tu, MONTE, lyceo
GEMMA. PHOEBO. OSTRO. FLORE. VOLVCRE. FACE.

ALIVD.

*ALIVD.*

Reddita post votis multorum oracula Phœbus
Florida Musarum per iuga fessus abit.
Exquirit choreas, & carmina læta sororum:
Nec fidium solitos ebibit aure sonos.
Siccine? sed resonat procùl Arcimboldia sedes:
Floridior Musis MONS ibi fortè viret.

*ALIVD.*

Cæsaris admirans subeuntis lumina Cœtus,
Lassa, inquit, cecinit nostra Camœna nihil.
Vultu sed facili Cæsar, verecundus & ore,
Sat cecinit, dixit, plusque satis cecinit.
Et cœtus verum, verum Cæsarque fatetur:
Suggerit at genijs hoc pudor, illud amor.
Vtraque sit mihi laus: si dicere plurima nil est,
Sique nihil, satis est: Sat, mea Musa: tace.

*ALIVD.*

Nulla magis toto Romana Vrbs eminet Orbe:
Nec Vaticano Collis in Vrbe magis.
Omnes præcelsus Colles supereminet & Mons:
Nec Montes inter Cæsare maior ouat.
O nimium dignata domus, tanto hospite felix:
Eminet hac Regum nulla superba magis.

*ALIVD.*

Audit vt insolitis Aulam resonare Camœnis
Arcimboldiacam Iuppiter æthre sedens:
Subsistit; Phœbumque vocans: Cur, Diue, vagantem
Musarum cœtum, dixit, abire finis?
Subridens Numen: Parce, ò Pater optime, reddit:
Desiluit sacro vertice nulla Soror.
En nouus in terras Astris delapsus Apollo
Aspirat mutis carmina ponderibus.

*ALIVD.*

ALIVD.

O qui ſacra teris deuoti limina, Cæſar,
Ordinis, & clarum ſpargis ab ore diem:
Aſpice; vt hoſpitium Virtus tibi ſignat honoris,
Et ceu Sol vmbra te comitante petit.
Qui fugit, hunc ſequitur: nam mox fugit illa ſequentem:
Hùc fuge, ne fugiat; quò ſubeatque, ſubi.

ALIVD.

Hic eſt Inſubriæ fulgens inſignibus Aſtrum:
Hic columen, generis deliciumque ſui.
Huius Parthenope mirata eſt mellica voces:
Audiuit nutus Marte verendus Iber.
Huic certat decorare ſacram gemina Infula frontem,
Geſtit & ad radios Purpura ſacra nouos.
Hunc ſpolijs ſaturata Orbis, ſaturata triumphis
Inuidet Vrbs, poſcens Cæſarem habere ſuum.
Tantus, Io, innuptæ ſuccedit Palladis Ædi,
Efficiturque Dei, quæ fuit Ara Deæ.

---

*In extremo Atrij proſpectu hoc Elogium occurrebat.*

CAESARI
MONTIO
Patritio. Mediolanenſi
S. R. E. CARDINALI
ARCHIEPISCOPO
et
Patri. Patriæ
Nunc. primùm
Alexandrinum. Gymnaſium
inuiſenti
Tutelari. Optimo
Academia. Infocatorum
Tanti. Mecœnatis. aſpectu
Gloriabunda
Poſ.

*Hinc aperiebatur Theatrum, ternas in sinu statuas symbolicas complectens, hoc est Religionem, ac Sapientiam conspectu mutuo. Illam Virginali forma mulieris, hanc virili decore Iuuenis porrigentis illi anulum nuptialem: Mediam autem Cæsaris Montij, partes Antistitis eo in connubio agentis. Stipant hinc inde Sponsos Genij gestantes insignia cuiusque sua: sed & Cæsari imminet sublimis atque exultabundus Genius, iactans cum Stemmate Montio euolutam Schedam inscriptam IN. VTROQVE: innuens Cæsarem in vtraque virtute conspicuum, & in certamine pietatis ac literaturæ de mortalibus nostræ ætatis triumphum ducere. In Stylobate autem, quo ternæ hæ statuæ nituntur, legitur inscriptum:*

TYPVS
OPTIMI. PRAESVLIS

*Quæ duo decora in Cæsare fæderata, quinque symbolis per intercolumnia Theatri dispositis illustrantur. Ea sunt.*

I. Pegasus alis expansis è montis cacumine Cælum versus volatum explicans. cum lemmate HIS. TOLLOR.

II. Gemmam anulo inclusam manus porrigens, cum lemmate. IN. AVRO. NITIDIOR.

III. Bombarda admoto igne explosa: lemma: DAT. IGNIS. SONITVM.

IV. Globus Mundi solidus in gemino cardine. lemma. HIS. INNIXA. SPECTOR.

V. Cælum nocturnum sidera, Tellus simul flores ostentans, lemma Græcè: ΑΜΦΙΣ ΚΟΣΜΟΣ.

*Duas porrò tabulas literatas in Trophæi formam erectas hinc inde ad latera Theatri offerebant Genij duo certatim oculis adstantium. Alteram de Ingenio Cæsaris nostri literatura floridiore exculto, alteram de Pietate in Deum à puero concepta.*

ODE I.

O quæ læta toris, Muſa, virentibus
Feſtiuo choreas carmine diuidis;
Vernantes ſere floſculos
Dignos MONTII amoribus.
Hic fons Eloquij gurgite vitreo
Emanans latices dat iugè melleos:
Vernantes ſere floſculos
Dignos MONTII amoribus.
Hunc plus Pierio de grege deperit
Percuſſus cithara Phœbus eburnea:
Vernantes ſere floſculos
Dignos MONTII amoribus.
Docta Romulidum condere pagina
Victrices calamo nouit adoreas:
Vernantes ſere floſculos
Dignos MONTII amoribus.

ODE II.

Cui tu, Virgo Dauidica,
E puro genium ſuderis Æthere,
Proſcriptiſque Sororibus
Tractaris placido ſtamina pollice:
Hunc non Martis ab Alpibus
Importuna cient claſſica Belgici:
Non Phœbeia carmine
Circe pelliciet, nec Cephali minax
Actæi lituus vagum
Oblitumque Laris coget ad ardua,
Sed quæ liminibus frequens
Sacris digna Deo victima ſiſtitur
Attollet Superis parem,
Et clarum triplici reddet in Inſula.

O & Gentis, & Ordinis
CAESAR, dulce decus, præsidium tui;
O tetris quoque rupibus
Collatura sacras delicias Poli.
Puber vertice sidera
Quòd iam, MONTE, petas, Montij honoris est.
Sed quòd Gentis honoribus
Celsis emineas, die Nepos, tui est.

*Ambæ deinde laudes Elogio primùm, tùm Emblemate, & carmine vario perstrictæ. Videlicet.*

*ELOGIVM.*

Mirare
Seculum. infelix
felices. nuptias. in
CAESARE. MONTIO
Ita. diues. eruditione. Ingenium
vt. Musarum. in. se. coloniam
vocet
Ita. Pietate. exculta. Mens
vt. Cælitum. inuidiam
prouocet.
Tu. tamen. Spectator
ne. stupe
MONTIVS. ISTE. MONS. EST
Parnassus
vertice. duplici. in. Cælum
consurgens.

## EMBLEMA I.

Mons præcelsus, cuius in iugo Sol & Luna grandiorem spectatori præferunt orbem.

*Lampade Sidereus gemina radiatur Olympus:*
*Fulgurat hæc maior, fulgurat illa minor.*
*Monte tuo sidens, Cæsar, duo lumina cerno:*
*Ingenium hinc, Pietas inde iugata nitet.*
*Sol quis erit, seu Luna magè appellanda duorum?*
*Vtraue maior erit lampas, & vtra minor?*
*Lumina si spectem, Soles vtrique videntur;*
*Sed nisi solus Sol, vnaque Luna micat.*
*Ergo Sol præter solitum dicatur vterque,*
*Nullaque Luna; Istæc gloria, MONTE, tua est.*

## EMBLEMA II.

Psalterium Dauidis Regis cum Diademate.

*Accipe dulcisonum blando Psalterion ore:*
*Regia dona libens Purpura respiciat.*
*Non tardi est digiti fidium concordia; verùm*
*Orpheos æthereum poscit habere manum.*
*Sic quæ componis connubia, MONTE, Deorum,*
*Principis exquirunt pectora magna Viri.*
*Tartareum haud metuas digito pulsante Tyrannum;*
*Cùm Scytha tela iacit, vulnera cassa iacent.*

## EMBLEMA III.

### Sol in medio Cælo, & Rosarium florens in medio viridario.

*Miramurnè Rosam condicere prælia Phœbo?*
*Iste nitet Cælis: illa renidet Humi:*
*Iste praeest Astris: Floribus illa praeest;*
*Iste Polo lumen diuidit; illa Solo;*
*Iste Diem rutilum; Ver beat illa tepens;*
*Iste Rosa in Stellis: Floribus illa Iubar;*
*Miremur MONTVM Lauro sociasse Tiaram.*
*Ista Dei Templum: Palladis illa decet:*
*Ista gerit Sceptrum: sed regit illa Stylum;*
*Ista decus Crucibus: Frondibus illa parit;*
*Ista salus Genij est: illa honor Ingenij;*
*Ista viam Cælis sternit: at illa Choris.*
*O felix CAESAR Radijs, O Flore beatus:*
*Nunquam Sol talis, nec Rosa visa fuit.*

### EPIGRAMMA I.

*Dum thalamos doctæ meditaris, MONTE, Camœnæ,*
*Serta inter pacis laurea, tela feris.*
*En vt Apollineæ studiosus quisque fatigat*
*Fila lyræ, Phœbi certat habere decus.*
*Scilicet hæc duri non sunt certamina Martis:*
*Ista geri placida prælia pace queunt.*
*Sanguine pugna caret: sunt hi sine cæde triumphi:*
*Inuisa haud sunt hæc, sed magè bella iuuant.*

### EPIGR. II.

*Te doctum, Te Musa pium venerata, Mineruam*
*AEthere demissam, seu putat esse Numam.*
*Vtra est laus maior, Cæsar? Pietatis, an Artis?*
*Alterutra, Cæsar, Cæsar vtraque vales.*

EPIGR. III.

*Bina micant rutilo Sol, Cynthia, lumina Cælo:*
*Pupilla & facie lucida bina micat.*
*Bina Aurum, Argentumque micant tellure metalla:*
*Vnio, Coralium pignora bina mari.*
*Bina Deum ò Soboles, Hymenæi fœdera pange:*
*Clarius in toto non erit Axe iubar.*
*Pange, Deum ò Soboles, Hymenæi fœdera: nullum*
*Par cui par toto Coniugum in Orbe fuit.*

EPIGR. IV.

*Fortunata dies, qua limina Palladis intras;*
*Hac tibi demeritæ conciliatur amor.*
*Idaliæ Pastor Diuæ connubia quærens*
*Funereo tradit seque laresque rogo.*
*E tribus Innuptæ sapiens te, Monte, dicasti,*
*Floreat vnde salus Orbis, & alma quies.*
*Fœnora is accepit belli; tu fœdera pacis:*
*Mitis Cecropiæ fertur oliua Deæ.*
*An pacis maiora licet tibi pignora ferre,*
*Mens vbi docta torum Relligionis amat?*

Περὶ Γάμου
Σοφίας, καὶ Εὐσεβείας τοῦ
ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΜΟΝΤΙΟΥ
Νυμφαγωγοῦντος

Τετράστιχον

Ὁππότ' Ἔρως μεγάλης Σοφίας τὴν δῖαν ἔγημεν
Εὐσεβείην (δόκομαι) τὶς ἐτήτυμος ἦεν;
Μόντιος, αὐτὸς ὑπάρχ' ἱερεὺς, καὶ ἀνάκτορον αὐτὸς,
Καὶ θάλαμος δ' αὐτοῦ στήθεα γ' ἀνδρὸς ἔφυ.

*Missa facimus carmina alia Græcè, nec pauca Italicè toto Theatro sparsa, studentes molis breuitati: Dictionem quoque panegyricam ad Cæsarem ipsum habitam reijcimus in corpus Dictionum, si Deus dederit, propediem edendum.*

*Consilio planè eodem, quò Theatrum Montium, & Kosmopœiam Mediceam in hunc ordinem referre visum fuit. Tu nostrum vtrobique studium boni consultum; tenuitatem condonatam habe.*

*Ergo ineunte anno asserti Orbis XXXVIII. supra Millesimum, & Sexcentesimum, recentibus auspicato nuptijs Ferdinandi II. Magni Ducis Etruriæ, demandata nobis prouincia fuit, Serenissimos Coniuges; cùm primùm pietatis causa Templum Frigdianense Ordinis nostri celeberrimum Pisis inuiserent, literario excipiendi apparatu. Præstitimus ergo, quoad licuit distentis tùm fortè editione Dierum Atticorum, quæ sanè hominem poscebat indiuiduum, in tanta præsertim apud nostrates Typographos inscientia Græcarum literarum. Tu, lector, ex titulo cognosces inuentum operis, & ex prolusione OEconomiam.*

*Titulus operis.*

---

ΚΟΣΜΟΠΟΙΙΑ
seu
MVNDVS
E Gentilitijs Medicæorum
Globis
Architecta Sapientia
perfectus
Ac Sereniss. Magnis Ducibus Etruriæ
FERDINANDO. II.
et
VICTORIAE
ominandis feliciter ipsorum nuptijs
expositus
Pisis in Templo S. Frigdiani, &c.

---

PRO-

## PROLVSIO.

*Operis materiem Mediceum ſtemma ſuggeſſit: ordinem ſtructura Frigdianenſis Templi. Illud varijs diſtinctum globis obtulit illico typum MVNDI: nam & in Cæruleo globo lilijs conſito floreſcentem cernis veluti orbem Terræ; & in ſubrubentibus reliquis agnoſcis Cælorum ſpeciem, quibus nec dubitat Stagirita Philoſophus nomen AEtheris facere, quo primùm nomine Anaxagoras rubicundum ignis decorauerat elementum. Iam Templum in modum Baſilicæ binis hinc inde porticibus, ſeu alis conſurgit Cellam continentibus. Eæ octonis procurrunt fornicibus ordine vno columnarum fultæ. Materie igitur vtrinque digerenda, Mediceæ Gentis ad dexteram alam, Rovereæ (cuia eſt Sereniſſ. Victoria) ad Leuam; è proximo fornice Aræ maximæ pependit primùm Orbis Terræ, deinde Planetarum in cæteris ducta ſerie à Luna ad Saturnum. Vlteriùs prouehi, ipſæ Templi metæ vetuerunt. Pro ſidereo tamen Orbe (ne portio nobilior omnino deſideraretur) ſubſtituta eſt Epigrapha in interiori fronte maioris Ianuæ, Auguralis Sereniſſimis Coniugibus, prolis æmulæ, fulgore ac numero, Cæleſtium ſiderum. Sed inter hos Orbes interfuit; quòd Planetæ quidem ſingulos ex familia vtraque ſuperiores Heroas producebant: Terra verò Magnos Duces Regnantes. Illi nobiliorem in Heroë, ac magno dignam Principe virtutem indicabant, ſuæ quiſque reſpondentem Cæleſtis naturæ impreſſioni, quaſi Sapientiæ ludentis opus (non hic autem ad luſum ludus, aut iocum; quando in ſacris paginis ipſa ſeriò diſcribitur Sapientia* in orbe terrarum ludens. Prou. cap. VIII.) *Hæc, quia in medio Mundo ſita, Cælis vndique ambientibus coronatur, gloriam protulit Magnorum Ducum, qui dotes Gentilium vniuerſas complexi, Sapientiæ triumphum nunc quidem ducunt, ſerta de Globo Cæruleo ſuppeditantibus lilijs, ſceptrum Robore. Siquidem, vt pompæ comes adſciſceretur Victoria Ferdinando, inſerendum fuit alterum alteri ſtemma familiæ, colludente non illepidè cum lilijs Robore, aureis aureo; ac Rovereis interim Gentilibus inſitionis iure locum in orbibus Mediceis præbente. Robur autem aureum potiſſimè hìc cenſemus pro inſigni Vrbinatis Principis, unde & familiæ naſcenti*

*vulgare Rouereorum cognomen in posteros. Agedum. Frontem Moli suffecit exterior Templi facies. Ipsa ternis patescens valuis extulit ad illarum latera, magnificè stylobatis imposita simulacra Virtutum Cardinalium. Globum singulæ Virtutes rubrum porrigebant Simulacro Sapientiæ, quæ abiecto ad pedes Globo Mundi, in sublimi nubium throno, decore considebat Regio supra ianuam Templi maximam, media inter duos Genios. Globum hi quoque ministrabant, cæruleum dexter cum lilijs, leuus rubrum cum insito Robore, & sacra vtrinque Epigrapha ex oraculis Diuinæ Sapientiæ: illinc ex Ier. cap. 51.* (Præparauit Orbem in Sapientia sua) *hinc ex Parabolis Salom. cap. 31. cum allusione ad Robur* (Roborauit brachium suum) *Ita scitè distributum vtrumque Stemma vni patuit obtutui; simulque ad allegoriæ firmamentum insinuata duo illa Mundi summa principia, Sapientia Conditoris velut Architecta, atque eiusdem opifex Omnipotentia. Sed nostrum in hac mole consilium quoniam illud fuit, vt recentes nuptias Serenissimis Coniugibus gratularemur, apertiùs innotuit ex imminente desuper Epigraphe Elogiastica, videlicet.*

---

SERENISSIMIS
FERDINANDO. II. M. D. ETR.
ET. VICTORIAE. VRBINI. PR.
Regales. per. Nuptias
auspicatissimas. coniugatis
Ordo. S. Pauli
communis. consors. lætitiæ
Tanti. Sceptri. felix. stabilimine
tutela. gloriosus
Auguralem
Typici. Mundi. Molem
ludente. Mediceis. in. Orbibus
SAPIENTIA
gratulabundus. excitat
consecratque
officio. postremus. obseruantia
primus.

---

*Mino-*

*Minores valuas, quæ alas hinc inde recludunt, Emblema sacrum ornabat, Alteram Salomon sapientissimus mortalium Regio euectus throno (Mediceæ pompæ is erat index) Alteram Regina Saba (Roureæ argumentum) experiundæ sapientiæ causa è patrijs oris ad Salomonem profecta. Illius hæc erat Epigraphe,*

CIVIS
quam. spectas. molem. Sapientiæ
FERDINANDI. II.
genio. excitatam
Religioso. excogitatam. ingenio
felicitatem. portendit. tuam
In. hac
Medicæi. Mundi. Imagine
coæuam. Mundo.
Tu. Tibi. Plaude
Fortunam. Agnosce
Numini. Gratias. age

*Huius autem sic erat.*

Felix. Omen. Etruria
MAGNO. DVCI
Magna. iungitur. Heroina
Sapientissimo. Salomoni
Augusta. Sabæa
Pacifico. Principi
VICTORIA
Plaudito.
Hactenus. habuisti. Philosophantem
Regem
Regnantem. Philosophum.
nunc. etiam. adorabis. in. pace
Victorem
et. sine. Marte
triumphantem.



*Sed mediam Portam subeunti occurrebat ex aduerso Cellæ prospectu impendens Ara Epigrapha duobus subnixa signis æneis; quorum alterum Virtutem referebat in specie Amazonis, galea caput, parazonio & lancea manus armantis; hoc in dextro Aræ cornu. In læuo autem, Fortunam altera manu stringente Cornu Copiæ, altera vertici Cupidinis ad vestes colludentis imposita.*

SALVETE
Serenissimi. Magni. Duces
FERDINANDE. VICTORIA
Par, sine. pari. Coniugum
Gemina. Italiæ. Pupilla
Etrusci. Cæli. Magna. Luminaria,
Adeste
Nouum, Hunc. Orbem
Sapientiæ
Serenaturi. aduentu. vestro. iucundissimo
Illustraturi. exortu
Coronaturi. præsentia.
Vestra. desiderata. Luce
hic. quaqua. expressus. arte
Orbis. orbus. est
Cælum. Cœcum
Astra. Atra
Faces. Fœces
SALVETE.

*Rapuere oculos ornamenta Columnarum vtrinque offerentium Symbola (vulgò Impresias) à priscis Mediceis vsurpata, heroicarum cogitationum atque consiliorum argumenta. Hæc à nobis carmine Etrusco illustrata, Serenissimis Coniugibus vicissim accommodata ad modum Emblematis legebantur.*

I, Na-

I. Nauis in profundo pelago iactata ventis. Hanc sibi excogitauerat Ferdinandus Cosmi filius.

*Moua pure orgoglioso à questo legno*
*Da l'Artica magion Borea i suoi fiati:*
*Che no'l sommergeranno entro al suo regno*
*D'Eolo, ò di Nettuno i colpi irati.*
*E' l'Etruria la Naue: è vn Mare indegno*
*Questo secol corrotto: Austri spietati*
*Gli emuli suoi. Duce il Gran Duca altero.*
*Chi può temer sotto sì buon Nocchiero?*

II. Testudo animal, cuius in dorso Malus, & Vela ventis inflata. Eius Auctor Cosmus Alexandri Fil.

*Questo tardo animal, che à passo lento*
*Il suo camin misura, e questa Vela*
*Che in veloce camin non cede al vento*
*La prudenza d'vn cor chiaro discuela.*
*Tardo suol consultar, mà in vn momento*
*Opra huom' saggio quel ben, che in petto cela:*
*Così con saggio oprar l'Etrusco Duce*
*Ogn'alta impresa à lieto fin riduce.*

III. Ensis cum adnexo scriptorio calamo. Hunc Alexander Laurentij II. fil. vsurpauit.

*Col brando, e con la penna ogni gouerno*
*Vuol esser retto. Son le leggi, e l'armi*
*Quelle che rendon vno Impero eterno,*
*E fan degni gli Eroi de bronzi, e marmi.*
*In cui di forze, e senno il pregio alterno*
*Fan degno di trofei, d'istorie, e carmi,*
*Con piuma, e brando, ò Cesare secondo,*
*Nascesti ai scettri, e puoi dar leggi al Mondo*

IV. Co-

IV. Conus galeæ coronatus, & Canis desuper. A Conte Auerardi II. Filio inuentus:

*La Corona Real, d'eccelso Impero,*
*E'l fido Can di fedeltade è segno:*
*Non sia perciò nè stabile nè vero*
*Senza la fede ò Monarchia, ò Regno.*
*Quindi d'Etruria, ò Gran Monarca altero*
*Di Colossi, e Corone ogn'hor più degno*
*Per quella fede, ond' hai sì ricca l'Alma*
*Godrai l'Impero con gran pace, e calma.*

V. Caput Æthiopis. A Petro Clarissimi Nepote.

*Questa d'huomo crudele oscura imago*
*Del magnanimo Piero il gran Trofeo*
*Fà rimembrar, quando il suo cor fè pago*
*Del sangue Saraceno infido, e reo.*
*Mà tu di maggior glorie ogn'hor più vago,*
*Non di sangue infedel, Gran Semideo,*
*Sei sitibondo: mà tuo vanto e gloria*
*Contro i mostri d'abisso è hauer vittoria*

VI. Palma arbor, auulso ramo. Auctore Cosmo Alexandri Filio.

*Chi fù, che osò con temerario ardire*
*Sueller quel ramo à l'arbor trionfale*
*Senza temere i giusti sdegni, e l'ire*
*Del Tosco Duce, che l'alzò immortale?*
*Suelto non fù: ben volle quel gran Sire*
*Così mostrar, che quel suo cor reale*
*E così eccelso ne trionfi sui,*
*Che palme hà per se stesso, e per altrui.*

VII. Ca-

VII. Capricornus, cuius in dorſo Cornu Copiæ, intra pedes Sphæra Mundi cum gubernaculo nauis. A Coſmo Alexandri F.

*Dimoſtra il Capro, e d' Amaltea il Corno*
*In horrida ſtagion grande affluenza,*
*Il Globo, e'l Remo nel terren contorno,*
*E nel ondoſo ancora vgual potenza.*
*Gran Ferdinando, in queſto ſcudo adorno*
*Hai de l'alte tue glorie l'eminenza*
*Potenza, agi, douitie non auare*
*Scettri, Imperi, Corone in terra, e in mare.*

VIII. Iris. Auctrice Catharina Laurentij II. filia, Henrici III. Regis Gall. vxore: Sereniſſimæ autem Victoriæ Magnæ Duci accommodata.

*Figlia d'horrida madre, Iride bella,*
*Qual'hora in Ciel le pompe ſue diſpiega,*
*Pace ci addita, & ogni gran procella*
*Sgombra dal Polo, e in rea prigion rilega.*
*Non è cura in vn cor tanto rubella,*
*Che al tuo guardo Diuin, che l'Alme lega,*
*Donna Real, non ſi dilegui à pieno*
*Cangiate le procelle in bel ſereno.*

IX. Nouem Globi, à Conte, Auerardi II. filio. Sereniſſimæ item Victoriæ accommodantur, cum ſubſequentibus.

*Noue ſon queſti Globi: e noue ancora*
*Son le dotte ſorelle in Ipocrene:*
*E di quei Spirti, ond' il Gran Dio s'adora*
*Son noue ancor le glorioſe ſcene.*
*Gran Diua, il Mondo à gran ragion t' honora*
*Sotto velo di miſtiche nouene,*
*Poiche in te ſola il bello, e'l buon riſplende*
*Che ogni Muſa, e ogni ſpirto in ſe comprende.*

X. Cæ-

X. Cælum vndique ſerenum, Stellis, Luna, Soleque fulgentibus. Expoſitum ab Eliſabetha Regina Hiſp. Catharinæ Mediceæ Reginæ Gall. filia.

*Se mira il Ciel di mille lumi adorno*
*Di bei fregi trappunto occhio mortale,*
*Sprezza del baſſo Mondo ogni ſoggiorno,*
*E à le gioie del Ciel ſoſpira, e ſale.*
*Sè le Virtù, che ti fan fregio intorno*
*Anima grande, ammira occhio immortale,*
*Tanto s'inoltra, che con bel deſio*
*Vola veloce à ripoſarſi in Dio.*

XI. Anulus adamante fulgens: cuius in baſi pinnæ tres Struthiocameli coëuntes inferiùs. A Laurentio II. Petri filio, Leonis X. Pont. Max. fratre nato.

*Eternità, fermezza, & inconſtanza*
*Nel Cerchio, nel Diamante, e ne le Piume*
*Chiaro s'adombra: mà vna ſola ſtanza*
*Come affetto contrario hauer preſume?*
*Quel nodo marital, ch'ogn' altro auanza*
*Onde tua fè impegnaſti, ò chiaro Nume:*
*Quiui s'accenna: poiche in cor coſtante*
*Seſſo hai di piuma, e fede di diamante.*

XII. Lu-

XII. Lunæ Globus ex ea parte illuminatus, qua ex coniunctione progreditur, alternatisque vndique radijs flammeis, acutis ornatus. Auctore Alexandro Laurentij II. filio.

*Ond'è, che il crin de la triforme Dea*
*Di viue fiamme coronato appare?*
*Forse il fratel la luce sua Febea*
*Cangiò di Cintia con le luci auare?*
*Questa d'ardenti rai nuoua liurea*
*Adombra, ò Diua, le tue doti rare,*
*Nel cui sesso imperfetto e humana veste*
*Splende Spirto virile, Alma Celeste.*

---

XIII. Crux, cuius latera Cordi acuminato similia, atque in superiori parte coronata. Circum ipsam quinque globuli, Mediceorum Insignia. Auctore Ferdinando Cosmi Fil. Francisci Fr. Cardinale primùm, dein Etruriæ Magno Duce III.

*Questo del nostro scampo vnico legno,*
*Che in capo hà la Corona, e il cor nei lati,*
*Ben appar, che dimostra Impero, ò Regno*
*D'Alme deuote, e cori innamorati.*
*Ah, chi potesse con mortale ingegno*
*Penetrar del tuo cor gli ardor beati:*
*Ben direbbe, ò Gran Diua, ch' il tuo core*
*Regna traffitto di Celeste amore.*

---

XIV. Arbor baccifera, similis oleæ, quinque tantummodo ramos protendens. A Francisco Cosmi F. Magno Etr. Duce II.

*Tipo di vera imperturbata pace*
*E di fertilità lieta, e feconda*
*E' questa Pianta, che à Minerua piace,*
*E di bei rami, e di bei frutti abonda.*
*A te, Diua gentil, ben si conface*
*Che d'alma saggia, e nel ben dir faconda*
*Fai germogliar la pace à Regni tuoi,*
*E la virtute insino à Regni Eoi.*

XV. Anchoræ tres vnà consertæ. Cosmo Alexandri F. Auctore.

*Di pretiose merci onusta naue*
*Qualhor da venti impetuosi è spinta*
*Senza l'opra fedel d'Ancora graue*
*Si può temer fra duri scogli estinta.*
*Il Regno tuo, che danno hostil non paue,*
*Mentre rimira al suo temone auuinta*
*Di tua fermezza l'Ancora, anco eterno*
*Può promettersi, O Diua, il suo gouerno.*

*Pependerunt hæc ſuſtinentibus decenter vittis, in queis alterno Emblemate implexa inſignia Sereniſſimorum coniugum; Videlicet lilium aureum Stemmatis cum rubro lilio diadematis Regij; Rami aureæ Quercus, ſeu Roboris cum Glandibus; in imo rubens Globus. Hinc ſenſim attollebatur oculus ad operis diſtributionem, obiecta gigantum ſerie (Atlantis, Herculiſque per vices) Orbes Mediceos viſendæ molis deportantium. Orbium cuique ſua nota, quæ partem diſtingueret Mundi, vt mox ſuo loco referetur: Sed & ſupernè lemma, Sapientiæ auctricis monumentum, ac dependens infernè titulus, interpres Allegoriæ. Vna hæc omnibus lucem ferebat Epigrapha. Ex parte quidem Mediceorum.*

---

Te. ipſe. vt. ſpectes
SERENISSIME. FERDINANDE
Imagines. proponimus. Maiorum. tuorum
Vt. ſpectes. clariùs
Specula. obijcimus. Mediceos. Cælos
NON. POTES
referre. clariùs. Maiores. tuos
maiorem. referens. lucis. gratiam
quàm. acceperis.
NON. MEDICEOS
illuminare. nobiliùs. Cælos
Medicea. Lumina
clarioribus. obtendens. fulgoribus.
Venerare. hìc
Etruſce. Narciſſe
tuam. in. aliena. imaginem
In. facie. facem. In. lumine. numen
Nec. deſpice. Pictoris. induſtriam
ex. aliena. luce. vmbras
petentis
ad. lumina. tua. viuidiùs
exprimenda.

---

*Ex parte autem aduersa Rouereorum, huiusmodi legebatur Inscriptio;*

Io. Serenissimi. Io
FERDINANDE. VICTORIA
Felicissimi
alter. alterius. fortuna
Coniuges
Medicee. Rouereo, triumphans
Rouerea. Mediceo
Stemmate. Schemate.
Tuum
VICTORIA
Mediceis. inseritur. Cælis
Robur.
Tuis
FERDINANDE
asseritur. Cælis
Victoria.
FELIX. ROBVR
ex. Planta, Planeta; lucens.
quàm. latè. protendes. ac. lætè
victores. in. Axe. ramos?
FELICES. CAELI
quibus. nouum. additur. ereptum. terris
iubar?
Quas. proferet. gemmas, insita. vobis
Arbor?
Quos. pluet. influxus, assita. vobis
Victoria?
Tuorum. Intelligentiam. Cælorum. habes. Victoriam
FERDINANDE:
Solum. tuum. habes; Polum
VICTORIA.

*Priusquàm ad Planetas accedamus, quùm à supremo ad infimum progredi ordo ipse Mundi suadeat, præmittenda videtur Epigrapha, vice Siderei Cæli suffecta, sicut initio præmonuimus.*

Circumspice
FERDINANDE
quáquà. distenditur. Serenissimus. hic. Orbis
Mediceæ. Sapientiæ
Agnosce
de. tuo. tibi. erectam. molem
apparatum. Triumphum
Seu. manus. pingit. Seu. pangit. lingua.
Errant. hic
Gentiles. in. sedibus. Planetarum
certum. in. errore. tenentes. iter. gloriæ.
TIBI
Gentilium. Victori. ac
Inclytæ. Coniugi
VICTORIAE
Orbem: Terræ. medium. vendicas
Vt. circumfulgentes. Cælorum. Orbes
Theatrum. faciant.
ADSVNT
Aurea. inde. Quercus. hinc. Lilia
dignum. triumphatoribus
datura. sceptrum
factura. sertum.
Sed. deest. Cælum. Sidereum
nec. vitio
Desideratur. Sed. fausto. omnium
desiderio.
Illud. æmula. Siderum. proles. mox
referet
Tali. stipite. digna. Fœcunditas
Tali. Mundo. Serenitas.

SATVR-

## SATVRNVS

*Age iam. In extremo fornice ad valuas prima occurrit sphæra Saturni cum titulo TOGATA SAPIENTIA. Huic quippe Planetæ referuntur pacis consilia. Ideo accommodatum illi è sacris literis dictum.* Ego Sapientia habito in consilio. *Huius virtutis nomine producti sunt ex Medicea familia Cosmus, ex Rouerea Hermundus cum subiecta laudatione.*

### TOGATA. SAPIENTIA
### COSMVS. MEDICES

*Surgebat de medio Areæ decoratus Symbolis Obeliscus, simulacrum extollens Cosmi in toga spectabilis. Sub verticem circumambiens Nubecula sistebat Cosmo hinc Amaltheam cum cornu gemino, illo diuitijs, & omni ornatu Regio; hoc fructibus, floribus, aristis pleno: Inde Astræam cum libra, & tritici spica selecta. Symbola verò in Obelisco Moneta multiplex, alia aliam excudens imaginem, Iani bifrontis, Nauis velificantis, Tritonis tubicinis. Sed interstitia monetarum occupata spicis triticeis, vuarum manipulis, falcibus, oleæ ramis binis decussatim iunctis. Aream ipsam varia circùm ædificia nobilitabant, pacis aureæ munera in ciuitate florentis. In ijs Delubra duo, Iani, Pacisque; sed illud foribus occlusis, hoc adapertis, cum titulo; IANO. D. PACI. D. Porrò in stylobate Obelisci incisum Elogium Cosmi Pacifici Principis, atque in tabulis marmoreis vtrinque dispositis Carmen varium.*

*ELOGIVM.*

EXPLICAT
felicibus. auspicijs
hanc. Medicei. Mundi. mappam
COSMVS
suo. inauguratus. nomine
ad. decus. familiæ. felicitatem. patriæ
tranquillitatem. Europæ
natus.

Pri-

Primus, domesticæ fundator, gloriæ
meritò proclamatus.
HIC
auitam, nobilitatem
immemorabili. deriuatam. origine
pacatis. consilijs. coronauit
coronatus, ipse
communi, applaudentis. famæ, præconio
PATER. AC. PRINCEPS. PATRIAE.
Rempublicam
sedatis. intestinis. discordijs
Italiam
exæquata. Principum. potentia
ad. florentissimam. pacem
composuit:
Fortunam. Virtute. Martem. Potentia
Inuidiam. Liberalitate
domuit
non. magis. capitum. Princeps. quàm. cordium.
LECTOR. NE. STVPE
Nostræ. Solem. ætatis, hic. Phosphorus
præcurrebat.

## ODE

Adeste Phœbi turba Heliconij,
Adeste doctis artibus inclytæ
Musæ; corollas implicate
Temporibus MEDICIS sacrandas.
Sed non amœnas quærite margines
Pæsti: cruentum purpura flosculum
Vernisque inhorrens sub smaragdis
Spina dolos glomerata prodit.
Nec candicantis stemmata lilij,
Nec lauri opacæ. Mittite, mittite
Deferre olentem, aut Martialem
Cycladа, Cæsaribusque notam,

Poscit

Poscit Togatæ frons Sapientiæ
Intaminatæ pignora syluulæ,
Insigne iucundum Mineruæ,
Mitibus & geniale Musis.
Adeste Pindo, Numina, ab edito,
Sat nota blando, Numina Apollini,
Pacis parenti læta adeste:
Promerito canite triumpho.

*Cosmus Medices moderator Reip. Florentinæ.*

EPIGRAMMA.

Turbida dum patrias exterrent tempora sedes,
Etruscisque furens Mars minitatur agris:
Consilio occurrens Medices conuertit in ipsos
Arma hostes, artemque arte retexit ouans.
O qualis fueris, Princeps, armatus in hostes,
Bella ciens; quando victor inermis ades?

ALIVD.

Cedant Arma Togæ, laurus concedat Oliuæ;
Iudice lis Cosmo prisca dirempta silet.
Condite iam ferrum, Ciues, coniungite dextras:
Pulchrior excluso Marte triumphus erit.
En Pax bella fugat fugiens, pugnat sine pugna:
Cum bello imbellis fortia bella gerit.
Sternitur intactus, non victus vincitur hostis:
Non cæsus cedit, non inimicus abit.
Ipse toga ornatus Medices docet esse sagatum,
Martia pacifico ritè Trophæa dari.

TO-

## TOGATA. SAPIENTIA HERMVNDVS. ROVEREVS.

*Huic Theatrum fecit Ager cultus, lętas hinc ſegetes, illinc de vitibus vuas maturas explicans. In medio inſtar ſcenę procera Quercus, diues glande, in eaque mellificans examen Apum cum lemmate ex Tibullo:* Ipſæ mella dabant quercus: *Iride deſuper incumbente. Subtùs autem, in ipſius Quercus multiplici ſobole, inſitum Oliuę geminum, adultis iam ramis ad ſpeciem throni conformatum. Inibi ſedens Heros Rouereus, auream virgam dextera protendens ad Aram, ſuper qua rogus militarium inſignium, ſalientibus flammis, accenſus. Ad dexterum Herois latus conſiſtens cum Plutone puero Pax, ſpicarum manipulum geſtans manu, & mappam inſcriptam carmine, caput pracincta lauro, varia quoque ad pedes exhibens ſertorum genera. Ad læuum Fama, de cuius tuba vexillum penſile, carmen prębens intextum. Sed & Arę ſtylobates Epigraphen obtulit huiuſmodi:*

*ELOGIVM.*

Ingredere
SERENISSIMA. VICTORIA
Propitio. Sidere. Triumphum. tuum
Proludit. Fundator. Familiæ
HERMVNDVS. ROVEREVS
Futurus. in. Te. herede
Medicei
HERVS. MVNDI.
Vnus. ex. quatuor. Ducibus
Pro. Ramberto. Rege. Longobardorum
Taurinenſes. ab hoſtili. metu. ſecuros
reddit.
In. Sago. dignitatem. tuetur. Togæ
Quercui. conciliat. Oleam.
Nimirum
Specioſior. pax. quæ. inter. arma. nutritur:
Dulciores. faui
quos. Leoninis. in. faucibus. Apes. conſtruunt:

&. inter. rigentes. dumos
amœnior. ridet. Rosa;
ROBVR. AVREVM
primus. vulgat, in. Stemmate
mirabilis. argumentum. consilij
quo. doceatur. posteritas
Robori. Martio. perbellè. nubere
Pacem. Auream:
nec. fictum. putaret. sed. factum
Triumphasse. de. Armis. Togatam. Sapientiam
IN. HERMVNDO.

ODE.

Iam cede Laurus, cede Heliconijs,
Quos læta opacat syluula, collibus.
Iam cede: gratior virescit
Temporibus religanda Quercus.
Non plùs cruentis debita prælijs,
Non Martis aras sacrat adoreis:
Beatiori læta Cælo
Ridet amœniùs innouata sorte.
Nescit furores vltrà Aquilonios,
Nescit senectam. Vere comantibus
Ramis perenni attolit auris
Brachia fœta opibus superbis.
Bellator hostem Roboreus procul
Imbellis arcet, consilio ferox:
Inermis & propulsat arma
Ingenio validus Mineruæ.
Sic delicata contegitur rosa
Minax acuta cuspide spinula,
Diuæq; gratus flos amanti
Pacificus rigida arma vibrat.
I, sacra Quercus: nobilius solum
Inquire: saltus desere inhospitos:
Alpes Olympo, Auroq; Germen,
Sideribus numeranda, muta.

EPIGRAMMA.

Hinc Medices, hinc Roboreus Sapientiæ honores
Explicat: ille toga nobilis, iste sago.
In vario quamuis, idem spectatur vterque:
Dissimili & similis proditur in studio.
Consilio hostiles ferit is sine Marte phalangas:
Hic ferit, at nullas Marte verendus habet.
Pectus vtrique tamen Pacis ferit vna cupido:
Is parit, hic partam fortis in vrbe fouet.
O digni Patriæ, digni O pacisque parentes:
Vna triumphauit vestri in vtroque Toga

ALIVD.

Sanguineis ciuem quisquis per vulnera Martis
Faucibus eripiat: Querna corona datur.
At tu Marte satus, Princeps, sine Marte triumphas:
Pacem securus te Duce Ciuis habet.
Frondea iàm non te, sit violanda furore;
Aurea sed Quercus non peritura manet

IVPITER

*Successit Saturno Iupiter in fornice proximo. Religionem Planeta hic ingerit, & cultum sacrorum. Appositus ergo Titulus:* INFVLATA SAPIENTIA, *cum sacro lemmate loquentis ipsius Sapientiæ* (Dominus possedit me in initio viarum suarum) *Diuinus siquidem cultus humanis omnibus curis præuertendus. Ea cum laude prodierunt Clemens VII. Medices, & Iulius II. Rouereus PP. MM.*

## INFVLATA SAPIENTIA CLEMENS VII. MEDICES

*Fortunata Pontificijs fascibus virtute Medicea in Iulio (qui dein Clemens VII.) sex illis in orbibus auiti insignis, facilè suggessit ingenium adumbrari sex Insulas ab soli vbertate, Cæliq; clementia Fortunatas olim nuncupatas, ac Iouis natalitias creditas. Hæ igitur in scena productæ, circumuallante pelago, stetitq; procul Aethna mons, ad cuius radices sub cauernis & specubus spirantes ignem gigantes. Sed imminens vtrisque altiùs in Cælo Nubes, atq; in Nube Thronus, Clementem VII. in cultu Pontificio subuexit. Fulmina hic in Gigantes læua intorquens manu, cum adscripta Græca epigraphe* Κακοῖς ἰούσας δεῖ ὀργὴν: *aureum dextra scyphum nectaris super Insulas fundens visebatur, adiecto Græco adagio:* Ἡ τῆς ἀρετῆς ἀκόλουθος τύχη. *Sub nube autem librans sese Aquila, & mappam Elogio descriptam, vngue sustentans. Præterea erectus Cippus per decliue Montis, instar Trophæi cum carmine insculptus & paulò citra Insulas contendens illorsùm Nauis expanso velo, cuius per amplos sinus varium veluti cum Zephyris ludens carmen.*

---

*E L O G I V M.*

---

CLEMENS. VII. MEDICES
Optimorum. Maximus. Maximorum. Optimus
Pontifex
Infulatæ. Sapientiæ. Prototypus.
hic. spectatur.
Christiani. Orbis. Pater. Maximus
Pacem. peperit
compressis. bello. perduellibus
restituto. Francisco. Sfortia. Mediolanensium. Duce
coronato. Karolo. V. Cæsare
impio. Britanniæ, Rege, Henrico. VIII. proscripto.
PRINCEPS. OPTIMVS
corruptoribus. morum
et, Fidei. Christianæ. deprauatoribus
bellum. indixit

Ordi-

Ordinem. recentem. Clericorum. Regularium
A. Sancto. Barnaba
ſub. Apoſtoli, Pauli. vexillo
Antonio-Maria. Zacharia. Duce
in. aciem. Religioſarum. copiarum
Pontificio. cogens. autoramento.
Plùs. clemens. neſcias. an. ſeuerus
Amabilis. certè. et. formidabilis
Subiectis. parcens. ſuperbos. debellans
Dignus. Romanorum. faſcium. heres.
COMPLECTERE
Chriſtiana. Reſpublica
Parentem. Maximum
REVERERE
Principem. Optimum
Dignitate. Petrum. Potentia. Cæſarem.

## *EPIGRAMMA.*

*Clemens VII. Karolum V. Cæſarem coronat, Henricum VIII. Regem Angliæ adulterum, ac hæreticum Anathemate punit. cum agnominatione in vocibus*, Corona, & Clemens.

Cæſaris vt frontem cingi diademate vidit,
Inuidit ſortem Rex ferus Ætheriam.
Ite (& ait), Proceres, noſtras quoque vertite gazas,
Gemmea Sidonijs iungite ſerta togis.
Altum barbarico ſolium veſtite triumpho,
Et noſtrum ſtipet pompa ſuperba latus.
Dixerat: & fronti mox quùm violenta reſedit,
Rupta *CORONA* ſtatim *CORNVA*, viſa fuit.
Diſcite iam: cui iure negat ſacra ſtemmata CLEMENS.
Probroſum DEMENS Rex diadema capit.

*ALIVD.*

ALIVD.

*Iulius Medices Cardinalis, qui & Clemens VII. Leonis X. patruelis in onere Pontificio comes, in honore successor.*

Quòd tibi supremos Vrbs detulit alma triumphos,
  Prudentis canitur non nisi mentis opus.
Scilicet hoc decuit, decus omne vt, Maxime Iuli,
  Redderet illa tibi, venerat vnde sibi.

ALIVD.

Quam tulit inuicto Patruelis robore molem,
  Alcides humeros subijcis ipse tuos.
Succedis CLEMENS (quis credat?) voce LEONI,
  Et potes immitis Marte rugire leo.
Clementem ah timeat, timuit quicunque Leonem:
  Dormit in hoc iactans lumina aperta leo.

*Stabilitur Apostolicis literis à Clemente VII. Medice Congregatio Clericorum S. Pauli (vulgo Barnabitarum) ad reparandas in Ecclesia functiones Apostolicas, ad illapsas moribus corruptelas, fideique hæreses conuellendas instituta.*

EPIGRAMMA.

Nutibus Ordo tuis procinctus in agmine, Clemens,
  Stat reparaturus prælia Christiadum.
Stat, tua tu demum si classica Martius infles,
  Impatiens Diti pandere signa truci.
Iamque triumphalis Christi Cruce dextera fulget,
  Pectore & accenso cælitùs ora tonant.
Non hoc plùs vllum perstringit lumina ferrum;
  Non hoc tormentum plùs fera corda quatit.
Scilicet euincendi animi? Clementia ponat
  Castra: procul furor hinc: Ars ea vera docet.

Nota.


*Nota. * Congregationis Clericorum Reg. S. Pauli à principe ipsorum Templo Diuo Barnabæ Dicato Mediolani, vulgò Barnabitarum, Fundatio in quingentesimum annum supra millesimum incidit: Confirmatio in trigesimum tertium supra quingentesimum; in Vrbe Bononia; Italico fœdere inter Clementem VII. & Karolum V. Cæsarem inito; nouennio quidem à Confirmatione Clericorum Reg. vulgò Teatinorum, quæ sub annum XXIV. supra quingentesimum extitit: septēnio autem ante Societatis Iesu, quæ sub annum XXXX; Auctore Nicolao Orlandino Societatis Iesu, Historiarum suæ Societatis scriptore lib. 2. num. 113. & Bellarmino Card. in 2. P. Chronologiæ ad calcem libri de Scriptor. Ecclesiast.*

## INFVLATA SAPIENTIA
## IVLIVS. II. ROVEREVS.

*Debuit suopte iure Theatrum in Templo quærere Rouereus Summus Pontifex, è pluribus Infulatis gentilibus vnus hic lectus. Templum igitur, Cella per decussim constructa; in ingentem Tholum fastigium excitauit: In summo sustinentis è regione fornicis, grandi charactere lemma ONVS. Suppeditnea verò in binis lateribus aduersis distribuere illa Iouis epitheta, attributa sanctiùs Christiano Pontifici OPTIMVS MAXIMVS. sed sua quoque in fronte pilarum, quibus tholus incubuit, disposita symbola. Videlicet: in remotioribus binis Aquila comportans rostro fulmina (Anathematis Ecclesiastici argumentum) vngue autem volumen explicatum, in quo Distichon Horatianum* Tu parum castis inimica mittes fulmina lucis. *Præterea Quercus Ioui sacra cum Emistichio Virgiliano* Ingentes tendit ramos *(interpretare amplissimum Pontificis imperium) In proximis verò, & ijs anterioribus pilis hæc: Tiara Pontificalis ex triplici diademate, illustrata Homerico illo* ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες: *Claues geminæ; insigne Pontificium cum illo item Homerico* Ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανὸν εὐρὺν, ἐν αἰθέρι, καὶ νεφέλῃσι. *Sub tholo quasi marmoreus thronus, Rouereæ gentis ornatus stemmate, Iulium II. in Pontificia maiestate sublimem extulit: in ipsoque throni Stylobate Elogium, & circùm in tabulis varia Pontificis laudatio.*

## ELOGIVM.

IVLII. II. PONT. MAX.
Monumentum



Contigisti. Cælum
ROVEREA. GENS
ferijsti. sidera. sublimi. vertice.
Hic. Ille. Est
Pontificum. Romanorum. Phœnix
Pontifex. idem
et. fratre. Pontificis. genitus.
PONTIFICIVM. REGNVM
adorea. conferens. triplici
Militiæ. Literaturæ. Sanctitudinis
Christianum. Orbem. fatiscentem
Continuit. Instruxit. Beauit.
Romanæ. ditioni. Terras. Tyrannis
edomitis
Genuinis. Principibus. Italiam. Hostibus
exturbatis
Ecclesiam. sibi. ipsam. moribus. castigatis
restituit.
Vaticani. Fundator. Templi
Octauum. Vrbi: Montem
Orbi. Miraculum
Dedit
Religione. Optimus
Splendore. Maximus
Pontifex.

Iulius

*Iulius II. Rouereus P. M. Vaticani Templi fundator.*

EPIGRAMMA.

Heroum generose nepos, ter maxime Iuli,
Heres Clauigeri grate canende senis:
Romulidis regnum per te firmatur in æuum,
Instauratori quùm noua Templa dicas.
Ecce opus immenso se se molimine tollit,
Nec timet insanum condere in Axe iugum.
Quis neget hanc terris solidam consistere petram?
Sidereasque Petri quis neget esse fores?

*Iulius II. Vindex morum acerrimus, Vaticanæ, aliarumque in Vrbe Sacrarum AEdium fundator.*

HEXASTICHON.

Moribus intendens laxis exomnis Iulus,
Sancta quibus frænet, condere iura studet.
Molibus intendens veterum splendore superbis
Æmulus ingentes prodere certat opes.
Pontificis geminum bellè sibi poscit honorem,
Molibus effusus, moribus acrè tenax.

*Idem multis iam clarus victorijs, Vaticanæ Basilicæ molem auspicatur.*

DISTICHON.

Hoste triumphato surgunt quid in æthere Templa?
Bellanè stellanti vis quoque ferre Polo?

*In idem argumentum.*

## ODE.

Cæco iuuentam carcere conditam,
Titaniam egit quis furor impotens
Sedes tonantis concitare
Aggestis malè rupibus?
Iam pone, Numen, pone minantia
Iustè vibratæ fulmina dexteræ:
Cessit retusa insanientis
Pubes consilij ferox.
Sacra verendus Iulius arbore
Compensat iras: celsa per arduum
Attollit Æthrem faustiori
Lætus limina sidere.
Fumabit Ara cæsa perennibus
Imposta pingui victima odoribus:
Sanctis tholusque infiget altus
Plantis oscula Numinum

## MARS

*Subsequitur Iouem Mars armorum Antistes, & bellicæ fomes virtutis. Cui perbellè congruit Sapientiæ tuba illa sacris in monumentis personans* (Mea est fortitudo) *cum titulo: PALVDATA SAPIENTIA. Hoc nomine delecti sunt præ alijs maximè celebres Ioannes Medices, & Franciscus-Maria I. Rouereus.*

# PALVDATA SAPIENTIA IOANNES. MEDICES

*Ioannem terrestribus, maritimisque clarum victorijs par fuit in subdiali campo spectari, patentissimo tractu terrarum ac marium. Erecta vtrobique Trophaea militaria Elogio & multiplici carmini fecere locum. Ipse Ioannes inter superbos Aquilæ complexus tolli videbatur in Cælum, vultu minax; sed facie penè imberbis ad veritatem historiæ, ætatis quippe immaturæ, hoc est anno septimo supra vigesimum inter viuos desideratus: Stringebat autem fulmina, & Auis ipsa vnguibus, & Heros manibus: atque hic simul ea vibrans deorsum, hàc Terris intentans, illàc Maribus, cum lemmate dupli-ci* In funere triumphus: & : Meta vitæ, non gloriæ.

## ELOGIVM.

IOANNI. MEDICI
Trophæum. pro. Tumulo. fit
pro. Trophæo. Tumulus.
Sed. apagè. Fatum. Fatorum. victori.
Nascenti
Mars. fuit. Horoscopus
Pallas. obstetrix. Bellona. nutrix.
Nondum. plantas. confirmatus. ad. gressum
Iam. expeditus. ad. congressum. manus.
Teneris. in. annis. robustus
Molli. in. ætate. ferox
Imbelli. bellicosus
cruentum. sæpe. cum. coæuis. pusionibus
bellum. conseruit.
Triennis. orbatus. Patre
Matre. bellis. iactata
tyrocinium. militiæ. reperit. in. vitæ. vestibulo
plùs. Martis. alumnus. quàm. Matris.
Adolescens. præfulsit. senio
plures. enumerans. hostes. quàm. dies
palmas. quàm pugnas.

Venetos. Gallos. Rhætos. Heluetios
Germanos. Hispanos
arte. varia. virtute. eadem
expugnauit.
Fulmen. belli. quis. neget?
vix. ideo. monstratus. Mundo:
Trieteride. ætatis. nona
altero. belli. fulmine. hoc. est. bombarda
petitus. genu. gloriosè. cessit
Consummatus. maturè. et. consumptus
senium. mortalitatis. nesciens
immortali. fama. superstite.
Dedit. Fortuna. periculum. Virtutis
Trophæum. Parca.

---

*Tropheo Ioannis Medicis inscriptum.*

DISTICHON.

Hoc tibi pro Tumulo surgat, Medicæe, Trophæum:
Marte cui Tumulus, Morte Triumphus erit.

ALIVD.

Pro te bella gerit Mars: In te bella gerit Mors.
Mars tibi Mortis onus: Mors tibi Martis honos.

*Eiusdem Tumulus.*

Cuius in immenso nomen circumsonat orbe:
Fatis, heu, raptum continet Vrna breuis.
Hunc æuo cernens viridi tetigisse senectæ
Parca decus, quid (ait) ducere fila opus est?
Inuida sed iuueni cum stamine crura recidit,
Ne premat Æthereos funere functus agros.
Cruribus at mancum tegitur dum marmore corpus,
Pennas dat Genio fama, vt ad Astra volet.

Ioan-

*Ioannes Medices victorijs multis inclytus in acie occumbit.*

EPIGRAMMA.

Prælia ſeuiſti toto metuendus in Orbe:
Ecce triumphatrix vndique palma viret.
Adriacus villoſa leo tibi colla ſubegit,
Fractus & oppleuit ſtrage Sueuus agros.
Succubuiſſe ſtupet nullis iam territa ſignis
Gallia feſſa tuis, Rhætia fuſa tuis.
Horruit ipſe nouas Mauors te Marte phalangas:
Pluribus vt cæſis te quoque cædis ouans.
Ambitioſus enim cunctis quùm viceris oris,
In te quod poſſis vincere, quæris adhuc.

CARMEN ADONICVM.

*Columnæ maritimi trophæi obuolutum.*

Mars furit atrox
Mors ferit atra
Marte ruit Mors
Morte ruit Mars
Morte reſurgit
Marte triumphat
Funere viuit
Vulnere vincit
Viuus in ore
Victor in æuum.
O noua mortis
O noua Martis
Forma Trophæi
Fama Triumphi.
Cede loco mors
Cede locum Mars:
Vrna quadrigas
Serta cupreſſus
Obſequioſa
Præſtet ouanti.

## PALVDATA SAPIENTIA
## FRANCISCVS-MARIA. I. ROVEREVS

*Præbuit Francisco-Mariæ, sua curriculum gloriæ Romana magnificentia, glorioso scilicet æmulatori, veterisque Martialis virtutis, nouo præliandi exitu, restitutori fortunatissimo. Quare excitatus est sumptuosæ structuræ Circus, ambientibus circumquaque scalaribus gradibus ad commodum spectatorum. Medium Circi diremit transuersus socci ductus, superimpositis metis, & symbolis ad cursus recursusque signandos, hoc ordine. Vt primo Metæ binæ consurgerent: Inde Ara Marti dicata: post tropheum insignibus bellicis adornatum, in eoque incisum Elogium: proximè binæ metæ: dein Ara Marti, ac Famæ sacra: tùm lapis instar militaris Trophæi, tubis ac lituis circumpositis varium Epigramma incisum exhibens: rursus metæ binæ: exinde Quercus, cuius in culmine nidificans Aquila, cum lemmate:* Hæc mihi grata quies. *Seriem postremò clausit meta singularis sic incisa:* Euitata tangitur. *In hoc autem curriculo deuectus Franciscus M. concitatissimis bigis, à meta non procul, obtulit in axe feruido grandioris characteris lemma: FAMA. VELOCIVS: ex velocitate tamen cursus vix collectum oculis.*

*ELOGIVM.*

FRANCISCI-MARIAE. ROVEREI
TROPHAEVM.
Concine. Fama
Tubam. hìc. habes: auream
ferreas. inter. loricas. conflatam.
Puero
Nouercam. agens. Fortuna
parentem. se. mirata. est. ipsius. gloriæ:
Obstupuit. Mars. nouum. fulmen
tam. sibi. fulgens. quàm. fulgurans. hosti
tumidum. quemque. cogens. timidum
terrens. terens

In.

In . cástris . tyro . simul . et . veteranus
Miles . Tribunus
Animorum . iuxta . atque . Armorum
imperium . habuit .
Sub . Guido . Feltrio . Vrbini . Duce . Auunculo
merens . stipendia . familiam . meruit
è . sororis . filio . filius . adoptatus
è . stipendiario . heres . Ducatus
ac . Romanæ . Præfecturæ
Potentissimos . Europæ . Principes . sibi . infensos
vicit . ferro . virtute . vinxit :
ad . eorum . arma . tractanda . vocatus . Imperator
quorum . disiecerat . Triumphator .
Munitissimas . Arces
hàc . impetu . corripuit . instar . turbinis
illàc . sola . minacis . fama . nominis
excluso . obtinuit . Hoste :
nouo . Martis . genere . Marti . incomperto
consequente . nullius . belli . bellum
speciosissimo . triumpho .
Anteà
victorem . hostium . póst . Martis
nunc . Mortis . quoque
concine . superstes . Fama .

*Franciscus-Maria I. Rouereus ex Ariminensi Arce, & Vrbe hostem pellit solis belli minis.*

EPIGRAMMA.

Nondum Franciscus veterano construit agmen
  Milite: non resonant classica Martis adhuc:
Protinus abrupto circundata mœnia vallo
  Hoste metu domito sponte relicta patent.
Bellonæ hanc bellam prolem quis deneget? eccè
  Imbellis bellat, bellaque Bella ciet.

DISTI-

DISTICHON.

Cæsaris ora pauet, famam sed Roboris, hostis;
Hic (ait) est Cæsar Cæsarum in Orbe tonans.

ALIVD.

Non Veniens, minus atque Videns: tamen agmina Vincis.
Cæsare quùm minor es; Cæsare maior eras.

EPIGRAMMA.

Lumen es, an fulmen belli, Francisce? phalangas
Non cadis, en cædis; non furis, ecce feris.
Fulgura fulgor agit: simul enitet, enecat ignis:
Lumen es, an fulmen? Numen es ipse magis.

ALIVD.

*Turcas bello aggressurus præripitur morte.*

Bella Scythis inferre parat. reuoluta bifrontis
Cardine ferrato limina sæua fremunt.
Iam litui raucis feriunt stridoribus æthra,
Nutat & insolitis motibus ipse polus.
Iuppiter, Heus Superi, clamat: noua Numina Cælo;
Excipite, & vestris addite ritè choris.
Quæ mora? vi polus vrgetur: Cessisse pudebit.
Bellica iam Lunam (cernite) tela petunt.

ALIVD.

Si rapit exuuias Mauors, te vindice reddit:
Si premit Imperium, te Duce pressus abit.
Si furit, ipse feris: ferit, irruis: irruit, vrges:
Mars ipse es Martis, Pugnaque, Palma simul.
Ante tamen pugnam cur (heu) modò concidis? heu cur
Te feriente furit Mars, pereunte perit.

DISTICHON.

Fata subis, Francisce, hosti dum fata minaris:
Non resolutus abis, sed reuocatus obis.

## SOL

*Post Martem Sol, medius Planetarum, suos omnibus dispensans radios. Probitatis hic author secundum Deum: quæ virtus alias irradiat, non nisi sempiternæ vitæ, Cælestisque beatitatis coronanda radijs. Hinc consequens titulus* RADIATA SAPIENTIA: *illustratus oraculo ipsiusmet Sapientiæ:* Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. *Prodierunt in hanc lucem Leo XI. Medices, & Franciscus-Maria II. Rouereus.*

## RADIATA SAPIENTIA
## LEO. XI. MEDICES

*Quòd immortali vita dignissimus Leo tam breui curriculum Pontificale confecerit, idem vt penè fuerit ad solium atque ad tumulum gradus: non alienum visum fuit, subdiale illi Mausoleum erigere, in quo extincti cineres asseruari viderentur, consita circùm multa Cupressu, & Palma, vno sub lemmate* In mœrore gloria: *superneque obducto nubibus Cælo, ipsas prementem nubes Animum Leonis, ad Diuorum sedes curru deuectum ostentare. Cui quidem pro bijugis præsto sint Naturæ, & Virtus, pro auriga Fatum, summum frontis illuminante Stella. Submissa verò est per nubes Tuba tanquam de Cælo personans, Terramque complens tanti Herois nomine. Dependebat ex ea signum, in quo depictus fabulosus Pegasus terram posterioribus illidens calcibus, anterioribus eleuatis ad Cælum, cum imposito lemmate* Terramque Polumque *Sed Mausoleo splendorem auxit insculptum scitè Elogium, & variè ludens poësis: Videlicet*

*ELOGIVM SEPVLCHRALE.*

PIIS. MANIBVS. LEONIS. XI. PONTIFICIS
Optimi , Maximi
Qui. vt. Melior. eſſet, eſſe. deſijt. Pontifex:
Vt. Maior. citò. deſijt.
æternitatem. adeptus. compendio. temporis.
triumpho ſimul. elatus. ac. funere
proclamatus. conclamatus.
Verus. Sapiens
nomen. Sancti. ſublimius. duxit. quàm
Sanctiſſimi.
Beatus. inaugurari. maluit
quàm. inaurari. Beatiſſimus.
Satis. Eccleſiæ. ſudauerat. Cardinalis
Pontificatum. in. Clemente. VIII. dudum. obierat
Cui. humeros. Atlanti. præbuerat. Hercules:
Renuntiari. non. tam. Pontifex. debuit
quàm. dignus. Pontificatu.
Ornatus. Regno
ex. triplici. contentus. vna. fuit. Corona
Cæleſtis. poteſtatis:
Regalius. putans. vno. in. Regno. Regem. eſſe
quàm. Proregem. in. tribus
Numen. quàm. Antiſtitem
Deum. quàm. Sacrificulum
Clauibus. Cæli. acceptis. ipſe. ſibi. recludere
fores. non. diſtulit:
Poteſtate. ſoluendi. habita
ſoluit. illico. ſibi. Genij. immortalis. mortale
vinculum.
vt. in. cæleſtes. oras. liber. euolans
vitæ. cæleſtis. fabulam. clauderet
digna. cataſtrophe.
Naſcens. arrham. Cæli. accepit
in. ſtemmate. gentilitio
Debitum. exegit. moriens.

*Vrnæ Inſcriptio.*

*DISTICHON.*

Sum Cælum: me ſtemma notat Cæleſte; tenebris
Sed cæcum reddit Sol meus occiduus.

*EPIGRAMMA.*

Cæleſtes cælo exuuias, Cæleſtibus ornor
Orbibus: haud tumulus, ſed putor eſſe Polus.
En quanta circùm radiatus luce coronor?
Quanta latet noſtro Numinis vmbra ſinu?
Qualis in Ætheria exoriens regione refulſit,
Qui tanta occumbens lumina ſparſit humi?

*ALIVD.*

Membra tenet marmor, ſpatiantur in Æthere Manes:
Terra, Polus iactant pignora, quiſque ſuum.
Sol Cælo eſt Genius, loculo ſed gemma cadauer:
Orbis ab hac gemina luce ſuperbus ouat.
Laurea cui cedat, dubium: Victoria vtrinque eſt:
Sol nitet iſta ſolo, gemma ſed ille polo.

*ALIVD.*

Scandite iam, Manes Medicæi, ſcandite Olympum:
Non decet in cæco marmore membra ſequi.
Scandite, qui Cælos perluſtrabatis apertos,
Terrenum nuper cùm traheretis onus.
Scandite: in externas ignoti haud tenditis oras:
Indigenas Gentis nobile ſtemma probat.
Exuuias Terris pudeat neu linquere veſtras:
Vrnula nam Cælum, dum benè celat, erit.

### ALIVD.

*cum allusione ad AEdiculam Tumuli, vbi Animus Leonis XI. imaginabatur in curru triumphali Cælum petens, trahentibus Natura & Arte, ac moderante habenas Fato.*

Siderei quòd aperta Poli Capitolia nobis,
Greſſibus & liquidum cedere cernis iter:
Ne ſtupeas; Genium tribuit ſtirps Regia dium,
Egit & ad Superos candida vita Deos.
Iunge ſimul Genio ſtudium: ſic præpete biga
Quis non feſtinum figat in Axe gradum?

## RADIATA SAPIENTIA FRANCISCVS-MARIA. II. ROVEREVS

*Franciſco-Mariæ iam tùm in terris Cælum anhelanti, & inter mortales immortalitatem vitæ votis accenſis adfectanti congruit non inuenuſtè Pyramidis argumentum. Eam licet humi firmatam tota molis amplitudine videas; ſurſùm tamen acuminato faſtigio ſurgere, nec prohiberi pondere, quò minus in Cælum ſe ſe erigat. Hinc & Heroum condendis cineribus, vice ſepulchri, auguſto plane commento decreta fuit. Tale ſibi Theatrum popoſcit Heros hic noſter, vèl inde ſuæ præcellentiam virtutis probans, quæ prouocare æmulatione ſua potuit illuſtriora Antiquitatis miracula. Stetit itaque Pyramis quaſi tumulus illius cineribus, viſendæ non tam molis, quàm elegantiæ; nimirum varijs paſſim diſtincta lapidibus, in queis inſculpta Epigrammata. Ad molis radices, grandis ſtylobata Elogium continens, præferenſque ſtemma Rouereornm deſuper, in quo præter Quercum auratam, omnium quoque ditionum inſignia, quæ tunc temporis Imperio Franciſci-Mariæ ſuberant, ſpectabantur. Sed ipſum Pyramidis iugum celſitudine ſua ſubleuauit commodè obtutum, vt in Cæli plaga Orientali Iunonem cerneret pauonibus in curru tractam. Ipſa expreſſo è mammis lacte, vna in Cælo aſpergine Galaxiam, vulgò Viam lacteam expinxit: altera pertingente in Terras circa Pyramidem produxit lilia: quæ in ſiniſtro molis latere*

*tere falce recisa legebantur rostro à binis Aquilis (eæ verò de stemmate sumptæ sunt, quod suprà innuimus) hac ratione, vt Aquilarum vna flores de solo legeret cum adscriptione* Digna polo: *altera transferret in Cælum, circumuolante lemmate* Natiuo humore vegetanda.

*ELOGIVM SEPVLCHRALE.*

PIIS MAN

FRANCISCVS-MARIA. ROVEREVS
Nomine. Secundus. Nominis. claritate
facilè. Primus
pretiosæ. mortis. exuuias. terris
sanctissimos. Manes. Cælo. dedit.
Adolescens
ad. Imperium. educandus
Aulam. adijt. Philippi. II. Regis. Hisp.
dignus. tantò. magistro. discipulus.
Accessit. Alexander. Recessit. Magnus
regnaturus. Maior. in. Orbe. gemino.
REPERIT. HISPANVS. MONARCHA
Æmulus. Persæ
dignam. Regalibus. insignibus. Arborem
ROBORI. AVREO
Aureum *. appendit. Vellus
aureum. vt. subditis. seculum. pareret
ferreum. Turcis
Quos. Pio. V. Pont. Max.
vnus. è. Christianis. Proceribus
Nauali. Marte. Triumphauit.
Successione. prolis. orbatus. suum. substituit. nomen
A. Morte. neglecta. Immortale
Imperium. Maioribus. traditum. cessit
anteuertens. fatum. Romano. Pontifici
infra. seculum. viuens. maior. seculo
æternitati. par
Discite. Mortales
*Moritur. vt. viuat. qui. vt. moriturus. viuit.*

* Ro-

* Robori aureo aureum appendit vellus, *quia Franciſcum Mariam Rouereum creauit Equitem S. Andreæ, cuius Ordinis ſymbolum eſt Vellus aureum.*

## DISTICHON.

*Vrnæ ſepulchralis inſcriptio cum alluſione ad Robur aureum ſtemmatis.*

Quas tua ſpargebant auratas brachia frondes:
Nectuntur tumulo ſerta ſuperba meo.

## EPIGRAMMA.

*Imperium adhuc viuens, & valens cedit Romano Pontifici.*

Neſtoris æthereus Soles numerauerat Heros
Terricolum inuidia dignus, amore Deum:
Impatienſque moræ funus præuertit acerbum,
Sortis adorandæ ponit & exuuias.
Tùm lacheſin ridens, quidni, inquit, ſtamina rumpis?
Me, mihi quòd nolo parcere, Parca, times?

## ALIVD.

Cunctaris quòd, Parca, mihi præcidere ſtamen,
En mea pertæſus funera ſolicito.
Iamque abigo rerum curas: iam ſponte repono
Quæ Proaui longa ſceptra dedere manu.
Tuque age: te Parcam voco; ne tamen, exigo, parce:
Parcaque ne fias, exigo, Parca, mihi.

## ALIVD.

Flauentes diſſolue comas, Berecynthia Mater,
Veris odoratum proijce, Flora, decus.
Arua gemant, arente ſolo populentur ariſtæ:
Ales & argutos deneget ægra modos.
Auulſa (heu ſcelus) auratis in frondibus arbor,
Arbor Dodones numine digna iacet.
Fata ſed (ah) nimium vrgeo. forſitan aurea terris
Quæ licta eſt radix, aurea ſecla feret.

ALIVD.

Quòd mea Fortunæ Virtus ſuperauit honorem,
Longior & fato vita negante fuit:
Diſſimulare poteſt Clotho indignata furorem,
Et facili immitis pectore ferre probrum?
Lenior haud hoſtis taciti, ſed acerbior ira eſt:
Ah, mihi dira furis, parcere, Parca, volens.
Hoſtem ſi præſtat Mauorte laceſſere aperto,
Iam, Parca vt fias exigo, Parca mihi.

## VENVS

*Proxima Soli Venus, abſoluti Imperij ſceptra portendens; reſpondente optimè titulo* TRABEATA SAPIENTIA; *aſtipulante non obſcurè Sapientia ipſa*, Per me Reges regnant. *Fidem fecere duo maximi Principes, Coſmus Medices, & Leonardus Rouereus.*

## TRABEATA. SAPIENTIA
## COSMVS. MEDICES

*Coloſſeum Coſmo ſignum, Rhodienſi non abſimile dedicandum putauimus, vt cum eminentia Virtutis Ars concertaret. Neque mirum, vno hoc Orbis miraculo referri Virum, qui Mundi Orbem proprio complexus nomine, omnia ſimul Orbis miracula in ſe vno facilè collegit. Iam ergo in faucibus ampliſſimi portus Coloſſus conſtitit, cruribus ita diſtentis, vt ſubeuntibus in portum nauibus veluti Arcum præberet. Tetendit dextra Sceptrum, adiuncta inſcriptione* Secura quies: *ſiniſtra interim innixa femori: faciem Sole aduerſo fulgurantem non ſine iucundo quodam horrore prætulit, adiecta inſuper luce lemmatis* Hac luce coronor. *Subiens verò Nauis obtulit in multiplici velo expanſo deſcriptum Elogium cum vario luſu poëtico. Sub Coloſſi plantis diſpoſiti Orbes Medicei Stemmatis, nobile portui antepagmentum fecere: vt & elegantem coronidem in quaternis ipſius portus lateribus totidem ſymbola marmoreis clypeis inſculpta; Videlicet 1. Pſittacus in cauea (alludit*

*ad Psaphonis historiam) ex ore proferens Græcè* Μέγας ἄρχων ὁ κόσμος. *cum latino lemmate* Naturam Virtus superat. 2. *Manus protensa (ad Midæ fabulam) galeam ex contactu efficiens auream cum lemmate* E ferro aurum. 3. *Frutex mollis, & virens in mari, feriente radijs Sole obdurescens, rubescensque in Coralium, cum lemmate* Percussu fit nobilior. 4. *denique Iris inter Nubes parens, cum lemmate* Serunt aduersa coronam.

*ELOGIVM.*

MAGNI. COSMI
monumentum.
Hùc. stylum. hùc. lucubrationes
Historici.
Magnus. hic. Princeps. quia. verus. Sapiens
Dominator. Astrorum. Fortunæ. Domitor
Inuidorum. dentes. sua. fregit. ipse. constantia
Furorem. suo. ipsorum. restinxit. sanguine.
Formidabiles. Coniuratorum. copias
vno. prælio. totas. deleuit
Kalendis. Augusti
Triumphos. æmulatus
Augusti. et. Karoli. V. Cæss.
auspicium. sortitus. et. gloriam. Imperij.
Quot. Quantaq. gesserit
testatur. non. Etruria. solùm. sed. Orbis
vniuersus
vix. illi. sufficiens
quem. suo. ipsius. conclusit. nomine
admiratione. compleuit.
A. Karolo. V. Dux. A. Pio. V. Dux. Magnus
initiatus. tantorum. Principum. munificentiam
magnitudine. rerum. gestarum. vicit
Magnum. ipsum. Atauum. Cosmum
Microcosmum. facilè. reddidit
adeò. splendorem. auitum. nouis. fulgoribus
cumulauit.

EPI-

EPIGRAMMA.

*Cosmus Medices deleto ingenti hostium exercitu Dux Florentiæ à Karolo V. creatur.*

Quis iam Fortunæ vultus horrere minaces,
Et putet aduersas Sortis adesse vices?
Æolus Ausonias Pœnus ni perflet in Aras,
Parua est flamma suis interitura focis.
Ipsa tibi Martis rabies fert pacis honorem:
Sanguine ab hostili Purpura, Cosme, rubet.

ALIVD.

*Insignem refert victoriam Kal. Augusti.*

Quæ Marte hostiles lux fortunata phalangas
Protulit edomitas, inclyte Cosme, tuo:
Dicitur Octaui, Karolique augusta triumphis,
Idem quam vario Sol tulit orbe redux.
Imperium ille dedit Mensi: tibi faustiùs iste:
Cosme, tuum Mensis nullus, & Annus edet.

ALIVD.

*A Karolo V. Dux Florentiæ, à Pio V. Dux Magnus Etruriæ creatur.*

Et Pius, & Karolus coëuntia sidera, Cosme,
Auspicium faciunt in tua sceptra bonum:
Pontifice ò felix, felix ò Cæsare Princeps,
Iste Ducem, is Magnum te iubet esse Ducem.
Ille Amor est Orbis: timor hic: regnabis vtrinque:
Hinc stimulo, hinc fræno subdita corda reges.

ALIVD.

Tu Bellus, tu Mundus es, O ter Maxime Cosme:
Augustum, quod habes, nomen vtrumque sonat.
Bellus es, infensos bello seu proteris hostes:
Seu tua Regna opibus splendidiora facis.
O bellus Princeps, ò nomine, & omine bellus:
O benè par Mundo, robore Cosmus Atlas.

## TRABEATA SAPIENTIA
## LEONARDVS. ROVEREVS

*Non opus fuit Leonardo adſcititijs ornamentis, cui propria ſuperabant. Stemma Gentis hæreditarium ſuaſit ambitioſè, vt ſua in medium proferretur Quercus, fabulis & religione veterum ſatis ex ſe diues argumentis. Hæc in ſaltu viridanti ſita, illius æmula Platani, cuius amænitate captum aliquando ferunt Xerſem Perſarum Regem, appenſis Regijs inſignibus ſplendidiſſimam pompam egit, coronante deſuper lemmate* Felicior Platano. *Adſuitque nobile quaſi ſatellitium plurium circumquaque Palmarum in theatri ſpeciem. Sub Quercum protenſa inſtar vmbellæ frondentium ramorum denſitate opportunum receſſum habuit Heros Rouereus; ſedítque magnificè in throno Palmis contexto. Diadema capitis, & ſceptrum dexteræ indicauere Principem, ſuperſcriptio Principem Magnum. Ea fuit:* Iudicium, & Vires. *Applauſere denique Fauni, vexilla comportantes, Palmarumque cacuminibus inferentes, alternante quadruplici lemmate;* 1. Inuiolata virore. 2. Fructuoſior, quò annoſior. 3. Dignum Regia ſceptrum dextera. 4. Non inclinata pondere. *In proximo aſpectui vexillo explicatum hoc Elogium.*

*ELOGIVM.*

---

LEONARDVS. ROVEREVS
Miretur. Antiquitas. Æmuletur. Poſteritas
Principis. ſimulacrum
Non. quale. depinxit. ex. fuco. Xenophon
ſed. ex. vero. deſcripſit. Plato.
Animatam. hunc. dixeris. Philoſophiam
adeò. aſſecutus. eſt. factis
dicta. Sapientum
ipſorumque. oracula. heroicis. impleuit. exemplis.
In. Purpura. ſic. enituit
iure. vt. dubites
an. illo. fuerit. digna. Purpura

cui.

cui. contulit. non. tulit. acceptam
lucem.
Certè. nec. clariorem. ipso. Præfectum
Roma. vidit:
Nec. Generum. digniorem
Ferdinandus. Rex. Neap.
quem. etiam. Ducatu. Soræ. alijsque. ditionibus
exornauit
Regia. poscente. Regnum
Virtute.

ODE.

Felix, propitio cui Dea Numine
Rerum terricolis arbitra fulserit
Suspirata frequenti
Iustis cum querimonia.
Hunc non ambiguis gressibus insequens
Non expers oculis sustulerit tota
Clauo stante trabali
Non ludens bene luserit.
Te moli Adriacæ Romulus expetit:
Princeps Regifico Parthenope toro,
Dignum vtrinque fauentis
Sortis munificentia.
Iam, quæ cæca alijs, fit tibi perspicax
Humanis reuerens Numen in artubus:
Dijs ingeniosa
Certat tollere honoribus.

EPIGRAMMA.

*Leonardus Rouereus Antonio Columnæ succedit in Romana Præfectura.*

Roboreis quàm scitè humeris incumbere molem
Ausoniam fessus, magne Columna, facis!
Orbis sic lassus (ludit festiua vetustas)
Amphitrioniadæ pondera cessit Atlas.

*DISTICHON.*

*De perpetua successione in Rom. Praefectura, cum allusione ad Herculeas Columnas.*

Surgit Roboreus Columen, sidente Columna:
Iam NON PLVS VLTRA scribere, Roma, potes.

*ALIVD.*

*Leonardus Ferdinandi Regis Neapol. Gener, Dux Sorae &c.*

Profert Regalem Generum te Regia virtus:
Regij amoris habes pignus, & Imperij.

## MERCVRIVS

*Excipit Venus Mercurium, ingeniorum arbitrum; ac Praesulem literarum: Poëtis quidem Internuntium Deorum eundem & Deum: Philosophis autem Ideam Principis: qui si ex L. Nullan 10. Deus in terris est, vti Deus in Caelis: eius domus Diuina: rescriptum Caeleste oraculum, literis vtique excultus sit, oportet, dignusque titulo* LAVREATAE SAPIENTIAE, *cum sacro lemmate Sapientiae* Eruditis intersum cogitationibus. *Hac laude celebriores duo ex innumeris vtriusque gentis prodiere, Laurentius Medices, & Sixtus IV. Rouereus.*

## LAVREATA SAPIENTIA LAVRENTIVS. MEDICES

*Laurentium Parnassi deliciae vendicarunt, vsque eò de Musis egregiè meritum, vt fabulas ipsas veritate rerum, atque amoenitate assecutus videatur. In Parnassi itaque vertice ipsum statuimus medium inter Musarum choros cum Graeca Epigrapha* Σοφοῖς ὁμιλῶν κἀυτὸς ἐκβήσῃ σοφός. *Leua ensem nudatum distrinxit, caesorum hostium indicem, literariae vindicem pacis: porrexit dextra lauream: ceterà Principalibus decorus insignibus. Musae interim alludere, ductare choreas, & vocum modulationes distinguere concentu tibiarum, ac fidium. Carmina de tabula recitare, quae & legenda spectatoribus*

*ribus offerebantur. Elogium verò in marmore ad Montis radices. Siquidem in accliui Pegasus fontem, vngula feriente recluserat, cum adscripto* Ex deuicta Medusa. *Ex fonte decurrens sinistrorsùm riuus præcipitabatur, inter saxa perfractus, ipso penè sonitu ex inscriptione percepto, nimirum* Perpetuo sonitu.

## *ELOGIVM.*

Floreat. hic. stylus
refloruere. Artes
reuiruit. sempiterno. Vere. Parnassus.
LAVRENTIVS. MEDICES
prodit.
Dictum. satis
Ipsum. Numine. plenum. Nomen.
Lacessitus. à. Marte. Prouocatus. à. Phœbo
Laurum. in. se. legit. vnde. coronetur
vel. Triumphator. vel. Sapiens:
Suo. sibi. ex. nomine. nomen. parit
Se. ipse. contentus
qui. et. scribenda. faciat. et. facienda. scribat
Historia. idem. et. Scriptor.
In. castris. acer. In. choris. alacer
seu. manu. certet. seu. ingenio.
Magistrum. Armorum
habuit. publicæ. pacis. hostem
quem. sæpiùs. ferocientem. compressit:
Literarum
Ficinum. ac. summos. ætatis. suæ. Sapientes
Quos
non. tàm. nactus. est. præceptores. quàm. præcones.
Certè. Mecænas. optimus
tam. multos. excepit. vndique. ac. splendidè. habuit
vt. in. ipsius. Aula
Parnassum. fecisse. visæ. sint. Musæ
quæ. solùm. inibi
suum. reperissent. Apollinem.

Tra-

Traxit. et. Ioannem. Picum. Mirandulanum
oraculi. fama
vt. Florentiæ. domicilium. legeret
fruiturus. Delphis. in. Etruria.
Extinctus
etiam. nùm. reddit. oracula
in. Pisano. Gymnasio. ab. se
fundato.

DISTICHON.

Hic tibi Mecœnas, soboles vaga Palladis, esto:
Doctus hic ore beat, largus hic ære fouet.

ALIVD.

Dum tibi dat clarum Sapientis Gloria nomen:
Dat nomen laurum, qua redimitus eas.

EPIGRAMMA.

*Ad Martialem, in illum versum Epigrammatis LIII. Lib. VIII.*

Sint Mecœnates non deerunt, Flacce, Marones.

Complures quondam sine Mecœnate Marones
Dixisti Flacco viuere, Marce, tuo
Iam mutare licet: sit laurea culta Sororum,
Sit Maro. Mecœnas quis? Medicæus erit.

ALIVD.

*De Laurentio Medice, Gymnasij Pisani fundatore.*

Hoc quoque magnificis iuuat adiunxisse trophæis,
Inuidiosa dies quod tibi nulla teret.
Quæ fundet posthac oracula docta lyceum,
Laurenti, hæc meriti sunt monumenta tui.
Nestoris hic quotquot reboabunt ora diserti,
Memnonio meliùs te simulacra canent.
I, nunc: Pythagoram ride: Laurentius Orbi
Redditus, en docto personat ore virum.

## LAVREATA. SAPIENTIA SIXTVS. IV. P. M. ROVEREVS

*Rouereo quoque Parnassum decreuimus, in remoto tamen prospectu. Is fontem natiuum exhibuit, & iugum geminum in Cælum surgens, cum lemmate:* Gradus ad gloriam. *Propiùs occurrit Mons Vaticanus cum allabente Tiberi, cuius in margine lupa infantes lactans, ad caput Numen ipsius fluminis, dextro cubito innitens in silicem, cui incisum Elogium, & stemma Rouereorum impositum. In Montis vertice sustulit se superbissimo prospectu Templum Diui Petri cum continente Bibliotheca. Ad cliuum autem dispositæ hinc inde Metæ duæ carminibus insignes, & super Metis transuersum volumen cum inscriptione (* VLTRA *) speciem triumphalis Arcus pretulere. Eò tendere visebatur Sixtus ornatissimo in curru, trahente Pegaso, comitantibus per choros Musis, circumuolitantibus, ac plaudentibus Genijs: qui & insignia gestabant Sacerdotij multiplicis, quod Heros gradatim gesserat; eò, inquam, tunc emeritus properabat.*

*ELOGIVM.*

SIXTVS. IV. ROVEREVS
P. O. M.
Assurgite. Musæ
Apollo. redux:
Robur. pro. Lauro. Lauream. Auream
temporibus. innexam. gerens.
Literatorum. Sanctissimus. Sanctorum. Literatissimus.
Facessite. vana. Numina
His. fidibus. instruxit. lyram
his. numeris. temperauit
gratus. Diuorum. Choris. æquè. ac. Musarum:
celeberrimis. in. Academijs. Doctor
ætatem. suam. voce. posteritatem. scriptis
ditauit
Franciscanum. Ordinem
Romanum. Senatum

Apo-

Apoſtolicam. Sedem
Generalis Miniſter, Cardinalis. Pontifex
illuſtrauit
Denique. Vaticanam. fundauit. Bibliothecam
Magnus. Sacrorum. ac. Literarum
Antiſtes.

*De Sixti IV, monumento, ideſt Vaticana Bibliotheca.*

EPIGRAMMA.

Rouereo felix Latium Sapiente triumphat,
Prouocat & ſeptem, Græcia, docta, tuos.
Si potes extinctis titulos imponere doctos,
Noſtra docet doctos viuere Terra ſuos.

ALIVD.

Muſarum Sixte alme parens, pater alme Sacrorum
Quo Duce Chriſtiadum ſidera Roma ferit:
Dum Vaticano doctas inferre tabellas
Palladis & variæ dum monumenta ſtudes:
Ecce triumphatas antiqui Solis in Vrbe
Victori gentes cogis adeſſe tibi.
Altera iam video Capitolia ſtare triumphis:
Marti illa, hæc Phœbo, bellica, docta patent.

ALIVD.

Aſpice, telluris fert omnis vt omnia tellus:
Aſpice diſparibus conſona cuncta modis.
Omnis in hac Cella perſtrictus clauditur Orbis:
Quà freta, quà terras, totus & æthra capit.
Concors hùc ætas omnis, mos, natio, lingua
Confluit: hic Virtus fœdera, Sorſque ferit.
Hìc mortale genus deluſo viuere fato
Et didicit mutum voce ſilente loqui.
Diſſita quæ ſpatiis abſunt, contermina fiunt:
Et quod præluxit tempus, adeſſe vides.
Iam ſi certet homo cum Numine, nonnè recentis
Conditor Orbis, eris nomine, Sixte, Deus?

## ENDECASYLLABVM.

Stirpis Roboreæ nitens propago,
Orbis gloria, Sixte, martialis
Phœbæum iubar omne prætulisti:
Solus Castalidum decus Sororum
Solus Palladios habes honores
Solus Castalios potare doctus
Fontes, laurifera sonare in aula
Alpinis licet educatus hortis
Hyblæos sapis, Atticosque flores.
Et te, Sixte, colunt viri potentes
Et tu, Sixte, potens fouere Musas,
Musas vindice te beatiores.
Virtus te magè prædicat Camœnis.
Virtus cùm dederit modum labori,
Terrarum dominum insitura Diuis,
Quamuis inuideat maligna Clotho,
Post Manes, tumulumque eris superstes.

## LVNA

*Mercurius Lunam euocat diuitiarum, ac nobilitatis opificem: consentaneo titulo:* PVRPVRATA SAPIENTIA; *nec dissentanea Diuina Sapientia: quæ habet* Mecum sunt diuitiæ, opes superbæ, & gloria. *Testatam rem faciunt sapientissimi Principes Franciscus Medices, & Ioannes Rouereus.*

## PVRPVRATA. SAPIENTIA
## FRANCISCVS. MEDICES

*Theatrum Francisco attribuimus Hortos voluptarios, vt ei delicijs arrideret suis Natura, in quem cerneret vnà secum benignè adeo conspirauisse Fortunam. Quadripartitum opus ambulationi per decussim reliquit locum. Quæ in conspectu patuit, recto nimirum tractu (nam quæ transuerso, eam oculis facilè subtraxit concurrentis viriditatis obiecta densitas) obtulit speciosam in vtroque mar-*

*gine seriem topiarij, è multiplicis amœnitatis arbusculis, quà flore quà fructu inter viridantium foliorum nitorem lasciuiente. In medio autem ambulationis, hoc est in ipso decussis centro eminuit è solo fons magnificæ structuræ, multiplici lusu aquas euomens, dispositis ex arte fistulis intra insignia Stemmatum Mediceæ familiæ, aliorumque summorum Principum, quibuscum Medices cognationem inierat: Cuius etiam Signum æneum superfusum auro, fastigium imposuit fonti. Sed in ipso anterioris ambulationis limine stylobatæ bini hinc inde in cornibus marginum, stemmate Mediceorum insculpti simulacra duo sustentabant, vtrobique Amalthea sedentis. Illic quidem effundentis è suo cornu coronamenta, seu flosculos versicolores, quos manu lectos disponebat scitè Genius in substrato solo in speciem operis museati Elogium, & carmina ex ijs concinnans tanquam in codice perlegenda. Hic autem eiusdem gestantis erectum cornu, ex quo prominens Sceptrum cum Diademate, vnionibus gemmisque præfulgente: ipsum autem Diadema vt tollat, desuper aduolat Aquila, velut Heroi deferendum. Inclinatum cornu ea decorabat inscriptio:* Nunquam exhaustum. *Erectum verò hæc:* Mercedis pignus.

*ELOGIVM.*

FRANCISCI. MEDICIS  
immortalitati  
Venerare. Medicea. Gens. Heroëm. tuum  
Etruriæ. Ducem. Magnum  
serie. secundum. non. gloria  
HIC  
Magni. Cosmi. Filius. et. Heres  
traditum. Patri. à. Cæsare. Imperium  
quò. firmaret. augustius  
IOANNAM. AVSTRIAM  
Filiam. Cæsarum. ac. Sororem  
Vxorem. duxit  
MARIAM. FILIAM  
Henrico. IV. Gallorum. Regi  
Vxorem. dedit

afflan.

afflante. Fortuna. arridentibus. Gratijs
sed. Inuidia. Infremente
cuius. vi. solicitatus. festinauit
immortalitatem
Olim. Etruriæ. nunc. Cæli
sidus.

ODE.

Etrusce Princeps, Herosque celse,
Quem Gens triumpho deuicta lauto
Ducit, coruscum virtutis altæ
Fulgore sidus mirata iactat;
Phœbumque blandum, cui læta flores
Spargit sereno Cælo madentes.
Cui sacrat ostrum vernans rosarum,
Cui fundit aurum flauens, Capillos,
Quos vnda ditis deuoluit Indi.
Florentissima Principum creatrix
Felicissima diuitum propago.
Felicissime Principum
Florentissime diuitum.
Lectæ promeritus fœdera coniugis
Vltra proueheris nubila, Olympicæ
Remigio volucris superbo.
Certat humus studiosa tuæ
Lilia fronti
Cana plicandæ
Sidereæ ingeniosa lucis
Æmula ferre.
Iam non cæca Orbem versat Fortuna: Virorum
Expendit merita.
Cæsareos, Medicæ, toros, & pignora tantis
Digna toris tibi larga dedit, totoque verendum
Nomen in Orbe.
O quas virentes Pierij tenent
Ripæ beantis: murmure vitrei
Fontis, Camœnæ, Heroa celsum
Mæonio celebrate plectro.

## EPIGRAMMA.

*Franciscus Medices Dux magnus Etruriæ masculina prole carens imperium fratri concedit. Tradita Maria filia in matrimonium Henrico IV. Gallorum Regi. Allusio ad lilium rubrum Diadematis Magni Ducis, & aurea Regis Gallorum lilia.*

Dum casti pignus thalami das iungere Gallo,
Regia floridior lilia pandit humus.
Iam tua ne metuas arescere lilia, Princeps,
Per quæ vita alijs redditur, atque vigor.

## DISTICHON.

*De Maria Francisci Medicis filia, Henrici IV. Regis vxore cum eadem allusione.*

Lilia me decorant natam, me lilia nuptam:
Non decet à cunis degenerare torum.

## ALIVD.

Aurea fers thalami, tuleras rubra lilia Gentis:
Regia sponsa Virum Pulchra, Pudica feris.

## ALIVD.

*Franciscus Medices Gener Ferdinandi Austrij Cæsaris Socer Henrici IV. Gallorum Regis, Frater Ferdinandi Magni Ducis Etruriæ.*

Ordine Dux Magnus regnas, Francisce, secundus:
Ter Magnus Magnis Cæsare, Rege, Duce.

PVR-

## PVRPVRATA. SAPIENTIA IOANNES. ROVEREVS

*Ioanni verò Theatrum Area patefecit, medium ostentans fontem: cuius labrum peramplum è marmore subnixum pila, atque è medio labro attollens se Quercus aenea. Saliunt impetu aquae pleno tubo, intra ipsius quercus caudicem ad fastigium vsque, atque inde erumpentes per apertum ostium grato sonitu diffunduntur per expansos circumquaque ramos, donec perlutis frondibus defluant guttatim in subiectum labrum, ita bellè imbrem imitantes, vt ad Solis radios efficiant Iridem. Caudicem Quercus circumplectebatur lemma:* Irradiante Virtutem Fortuna. *Iam Areae solum, quod fontem ambiuit, versicoloribus stratum calculis obtulit tessellato opere legenda Epigrammata. Area Theatri aedificio circumscribebatur ordinis Dorici, AEdiculam habens in conspectu cum erecta Ioannis Statua, & subtùs Elogio. Columnarum verò interstitia carminibus occupata.*

### ELOGIVM.

EMINET
immortali. charactere
IOANNIS. ROVEREI
inclytum. nomen
Mediceis. dignum. inscribi. Cælis.
In. hoc. Heroë
prodiga. visa. est. &. auara. Fortuna
quæ. omnibus. effusis. thesauris
impar. extitit. Virtutis. pretio.
Ipsum
Romæ. Præfectum. Soræ. Ducem
Senogalliæ. Dominum. Mondauum. Vicarium
Galliæ. Equitem. S. Michaelis
crearunt:
certantibus. ad. eum. exornandum
Sixto. IV. Pont. Max

Karo-

Karolo. VIII. Ludouico XII. Galliarum. Regibus:
Sed. vincente
FELTRIO. VRBINI. DVCE
qui. sibi. Generum. adsciuit
Clarissimo. Principi. Lectissima. Filia
IOANNI. IOANNA
Vxore. tradita

*Ioannes Rouereus sub disciplina Ducis Vrbinatium Tribunus clarissimus, eius filiam in matrimonium accipit.*

DISTICHON.

Vrbinas Princeps Martem te tradidit Orbi:
Marti cur Venerem deneget ille suam?

*De eius Militia, & partis Imperij titulis.*

ALIVD.

Larga tibi Virtus, Princeps, Fortunaque diues:
Te probat ista Orbi nobilem, at illa facit.

EPIGRAMMA.

Vitales, Princeps, cùm prouehereris in auras,
Pensaquè pro lanis aurea Parca daret:
Se tibi blanda stitit cumulato Gloria cornu,
Et placido arrisit sidere ab Axe Deus.
Protinus Adriacos fasces, & fascibus addens
Regia sceptra tibi Martia Roma dedit.
Æmula quodque decus gestabat Gallia maius,
Maius & Vrbinum pignus in Orbe, tulit.
Quanta tibi est Virtus, si Fors te tanta secundat:
Virtutis, si Fors clarior, vmbra tuæ est?

Ioan-

*Ioannes Rouereus Tribunus militum clarissimus, plurimisque auctus fortunis.*

*ANAGRAMMA.*

ROVEREVS.
VER. SERVO

*EPIGRAMMA.*

Aurea, quæ diues profundis ab æthere cornu,
Quid trepidas vultus, Luna, subire meos?
Quiduè trucem hanc ferro pallent tuá lumina dextram:
Et reuocas gressus territa Diua tuos?
Desine: sub galea hac pacis nam cura fouetur,
Ægide sub cruda Gratia blanda sedet.
Tela inter legi blandos stridentia flores,
Et SERVO medio VER Aquilone tepens.

## TERRA.

*Proximam Lunæ sedem in hoc typico Mundo (suppressis ex angustijs loci reliquis elementorum orbibus) vendicat Terra, quam globus cæruleus Medicei Stemmatis, in quo & florent lilia, non inepte præseferre dictus fuit in huius opusculi vestibulo. Accessit autem titulus* PALMATÆ SAPIENTIÆ: *quasi hactenus secum ipsa certauerit Sapientia, æmulata quidquid in Cælis gesserat, alias atque alias proferens Medicea gentis virtutes: nunc quoque ipsa se vicerit in Magno Duce regnante Ferdinando II; triumphalem idcirco Palmam in Orbe Terrarum legens. Neque dissonum fuisset ipsiusmet oraculum Sapientiæ, quæ solertissima vbique rerum cum fuerit; Terrarum tamen amænitate capta potiùs, quàm Cælorum illud non timuit vsurpare:* ludens in Orbe Terrarum, & deliciæ meæ esse cum filijs hominum. *Nec iniuria. Famulantur enim quodammodo Terris Cæli, & suo circumplexi ambitu quasi satellitio Regiam stipant Maiestatem. Denique Homo, cuius natiua sedes in terris, compendium est quoddam Vniuersi, eiusque gratia explicati, ac circumducti Cælestes Orbes: vt pro-*

*propterea Ferdinando Regnanti nobilior decreta videatur in Terris sedes, quam etiam diuturnam ab Immortali Deo precamur ad perennitatem Etruscæ felicitatis. Verumtamen assumenda cùm esset è regione Serenissima Victoria, quæ iam prolūserat in specie Augustæ Sabeæ, visum est, Orbem terræ ex parte Mediceorum inscribere*: Vniuersa terra desiderat vultum Salomonis; *ex aduersa Rouereorum*; Videns Regina Saba omnem sapientiam Salomonis non habuit vltrà spiritum. *Ita & triumphantem in Ferdinando II. Sapientiam spectare fuis in Terris, & raptam simul celebritate famæ ad eius nuptias nobilissimam Orbis Terrarum Heroinam. Cuius etiam Robur gentilitij stemmatis in opposito (vtique Terræ) globo consitum inter Mediceorum lilia visebatur. Vtrique Serenissimorum Coniugum erecti sunt Fornices, Trophæa, Columnæque triumphales cum Statuis, & carminibus, vt mox habebitur.*

## PALMATA. SAPIENTIA SERENISS. FERDINANDVS. II.

*Triumphaturo de suis Maioribus Ferdinando erigitur fornix, tametsi contrario Romanorum instituto, qui exterarum dumtaxat nationum victoribus honorem huiusmodi decernebant, Vrbem repetentibus. Sed quemadmodum speciosius est ad gloriam indicere ijs, quos ratione cognationis maximè diligas, certamen, honestæ autem æmulationis, ac bellum virtutis: ita compoti victoriæ debetur meritò, quidquid olim Romanus fastus excogitauit turbæ omni triumphantium honestandæ. Hic igitur obtulit se vni obtutui & Fornicis Triumphalis magnificentia, & pompa triumphantis. Sumptuoso curru vehebatur Ferdinandus, quaternis tractus leonibus, quod genus beluæ quadrupedes alias strenuitate cùm superet, Ferdinandi gloriam præ suis gentilibus arguebat: Quernâ in capite corona victorem indicabat pacati belli, perque ipsam victoriam auxisse ijs, quos æmulabatur, famam, nedum vitam in posterorum memoria conseruasse. Aureum verò Sceptrum in dextera, cuius è summitate lilium prodibat, explicuit Ferdinandi pompam in principe florum, cui isti vernantes, venerantesque circumstant. Sed fornicem tot adornabant Statua, quot fuere insignia Sapientiæ in Mediceis maioribus antè lau-*

*data, & quidem simulacra ipsorum expressa, Ciuilis nimirùm Prudentiæ, Sacri Magistratus, Bellicæ fortitudinis, Sanctimoniæ, supremi imperij, literaturæ, Diuitiarum cum nobilitate. Eminuere præterea in vtroque cornu fastigij Signa duo Colossica, Briarei gigantis centimani cum subscripto lemmate:* Victoria multiplex: *ac Felicitatis gestantis Amalthea cornu diuitijs confertum cum lemmate:* Ex virtute varia. *In summo arcuantis se se fornicis extabat tabula notis antiquis (quas vnà cum alijs excusas mox habebis) conscripta, gratulationes, & plausus exponens antiquissimæ Mediceorum familiæ. Amplior verò tabula inter coronas duplicis ordinis collocata Inscriptionem complectebatur huiusmodi:*

FERDINANDO . MEDICEO
MAGNO . ETRVRIAE . DVCI
SVCCESSIONE . NOMINE . GLORIA
QVINTO . SECVNDO . PRIMO
TER . MAXIMO
IN . CERTAMINE . SAPIENTIÆ
PALMAM . REFERENTI
TRIVMPHATORI . GLORIOSISSMO.
CLERICI . REG . S. PAVLI
FORNICEM . TRIVMPHALEM
D. D. C. Q.

*Columnarum interualla, & hypopoda carminibus occupabantur, Videlicet:*

*Auspicium Triumphi Sereniss. M. D. Ferdinando II.*

*EPIGRAMMA.*

Hactenus æthereos orbes tenuere Planetæ;
Quos tua sidereis Gens animauit Auis.
Nunc se se furtim insinuant tria lilia in orbem;
Certet ut in laudes Planta . Planeta tuas.
O dignus Princeps, toto domineris vt Orbe,
Serta cui certant texere Terra, Polus.

*propterea Ferdinando Regnanti nobilior decreta videatur in Terris sedes, quam etiam diuturnam ab Immortali Deo precamur ad perennitatem Etruscae felicitatis. Verumtamen assumenda cùm esset è regione Serenissima Victoria, quae iam proluserat in specie Augustae Sabeae, visum est, Orbem terrae ex parte Mediceorum inscribere:* Vniuersa terra desiderat vultum Salomonis; *ex aduersa Rouereorum;* Videns Regina Saba omnem sapientiam Salomonis non habuit vltrà spiritum. *Ita & triumphantem in Ferdinando II. Sapientiam spectare fuit in Terris, & raptam simul celebritate famae ad eius nuptias nobilissimam Orbis Terrarum Heroinam. Cuius etiam Robur gentilitij stemmatis in opposito (vtique Terrae) globo consitum inter Mediceorum lilia visebatur. Vtrique Serenissimorum Coniugum erecti sunt Fornices, Trophaea, Columnaeque triumphales cum Statuis, & carminibus, vt mox habebitur.*

## PALMATA. SAPIENTIA SERENISS. FERDINANDVS. II.

*Triumphaturo de suis Maioribus Ferdinando erigitur fornix, tametsi contrario Romanorum instituto, qui exterarum dumtaxat nationum victoribus honorem huiusmodi decernebant, Vrbem repetentibus. Sed quemadmodum speciosius est ad gloriam indicere ijs, quos ratione cognationis maximè diligas, certamen, honestae autem aemulationis, ac bellum virtutis: ita compoti victoriae debetur meritò, quidquid olim Romanus fastus excogitauit turbae omni triumphantium honestandae. Hic igitur obtulit se vni obtutui & Fornicis Triumphalis magnificentia, & pompa triumphantis. Sumptuoso curru vehebatur Ferdinandus, quaternis tractus leonibus, quod genus beluae quadrupedes alias strenuitate cùm superet, Ferdinandi gloriam prae suis gentilibus arguebat: Quernam in capite corona victorem indicabat pacati belli, perque ipsam victoriam auxisse ijs, quos aemulabatur, famam, nedum vitam in posterorum memoria conseruasse. Aureum verò Sceptrum in dextera, cuius è summitate lilium prodibat, explicuit Ferdinandi pompam in principe florum, cui isti vernantes, venerantesque circumstant. Sed fornicem tot adornabant Statuae, quot fuere insignia Sapientiae in Mediceis maioribus antè laudata*

*data, & quidem simulacra ipsorum expressa, Ciuilis nimirùm Prudentiæ, Sacri Magistratus, Bellicæ fortitudinis, Sanctimoniæ, supremi imperij, literaturæ, Diuitiarum cum nobilitate. Eminuere præterea in vtroque cornu fastigij Signa duo Colossica, Briarei gigantis centimani cum subscripto lemmate:* Victoria multiplex: *ac Felicitatis gestantis Amalthea cornu diuitijs confertum cum lemmate:* Ex virtute varia. *In summo arcuantis se se fornicis extabat tabula notis antiquis (quas vnà cum alijs excusas mox habebis) conscripta, gratulationes, & plausus exponens antiquissimæ Mediceorum familiæ. Amplior verò tabula inter coronas duplicis ordinis collocata Inscriptionem complectebatur huiusmodi:*

FERDINANDO . MEDICEO
MAGNO . ETRVRIAE . DVCI
SVCCESSIONE . NOMINE . GLORIA
QVINTO . SECVNDO . PRIMO
TER . MAXIMO
IN . CERTAMINE . SAPIENTIÆ
PALMAM . REFERENTI
TRIVMPHATORI . GLORIOSISSMO.
CLERICI . REG . S. PAVLI
FORNICEM . TRIVMPHALEM
D. D. C. Q.

*Columnarum interualla, & hypopoda carminibus occupabantur, Videlicet:*

*Auspicium Triumphi Sereniss. M. D. Ferdinando II.*

EPIGRAMMA.

Hactenus æthereos orbes tenuere Planetæ;
Quos tua sidereis Gens animauit Auis.
Nunc se se furtim insinuant tria lilia in orbem;
Certet ut in laudes Planta . Planeta tuas.
O dignus Princeps, toto domineris vt Orbe,
Serta cui certant texere Terra, Polus.

ALIVD.

*Ferdinandus II. triumphator ſuæ Gentis.*

Quòd tua luminibus vacuas dant ſtemmata ſphæras,
Stemmata maiori lumine grata micant.
Illæ te Phœbum cùm, Ferdinande, ſalutent,
Lumine labuntur lumina victa tuo.

ALIVD.

*De Mediceo Principatu cum alluſione ad recentes nuptias.*

Sex ferrata globis Mugelli claua Tyranni
Ceruicem æratis hoſtibus icta terit.
Roborei auſpicium thalami. Medicæa furentis
Ludere nam robur Roborá ſola valent.
Alme Nepos, cui ſtemma ornat victoria Gentis.
Non teris ipſe caput, ſed magè corda feris.

ENARRATIO.

*Mugellus Etruriæ quondam Tyrannus fuit, Clauamque adhibens ferreis ſex globis armatam, plures in congreſſu hoſtes validiſſimos ſtrauit. Demum ſtràtus ipſe à quodam Mediceo, Genti victrici ſtemma feciſſe traditur ſex globis diſtinctum.*

ALIVD.

*De Ferdinandi II. Sapientia, & Pietate.*

Lilia terreſtris perhibent inſignia Sceptri,
Orbis at æthereus ſignat in Æthre decus.
Heroas Medicæa tuos Gens deſine magnos
In terris alios tollere, in Axe alios.
Vnus vtraque ambos Fernandus laude triumphat
Magnus in Imperio, Magnus in Empyreo.

ALIVD.

*De Quercu aurea Reuereorum, inserta Mediceis orbibus per recentes nuptias.*

Orbibus ætherijs, Princeps, quùm ſtemma coruſcum
Specto tuum, te concino Solem.
Lumine ſtemma nouo miror quùm nuper adauctum;
Germanam quoque Solis adoro.
Ipſa tuis coram radijs haud Pallida, Phœbi
Fax etiam illibata putatur.
Felix ò gemino collucens Tuſcia Sole,
Cimmerijs quàm inuiſa tenebris!

AENIGMA.

Mors, Mars, Nex, Nox, Lex, Lux, Speſque, Dieſque, Quieſq;
Inſubriæ iſta recens fabula tota fuit.
Claudere poſtremo FERNANDVS debuit actu,
Dux fera victricis vincere bella Deæ.

---

*Fornici ſucceſſit Tropheum hic Epigrapha literatum, videlicet.*

Hæc. Te. Triumphi. Pompa. Decet
SERENISS. FERDINANDE. SECVNDE
Nulli. Secunde. Gentilium
Heres. Heroum. Glorioſiſſime.
TRIVMPHARVNT
Maiores. Tui. Orbem. Vniuerſum. Sapientiæ. Gloria
Tu. Maiores
Vaticanum. Terras. Nactus
Capitolium. Cælos:
Sed. Et. Aurum. Pro. Lauro. Sortitus
Quùm. Gentilitijs. In. Orbibus. Didiciſti
Aureas. Inſerere. Arbores
Aureæ. Vt. Ætatis. Fructu. Percepto
Tecum. Vnà. Triumphet. Etruria
Quam. Eras. Hactenus. Aurea. Virga
Moderatus.
Sed. Quæ. Iſtic. Monumenta. Victoriarum?
Quæ. Gentium. Acclamationes?

Qui. Plausus ?
Tu. Mihi. Pacem. Fatetur. Etruria
Fremente. Vndique. Marte. Imperturbatam
Conseruasti.
Te. Auctore. Insubria. Prædicat
Intestinus. Mihi. Tumultus. Inter. Cathol. Regem. Ac
Parmæ. Ducem. Conquieuit.
Abs. Te. Suscipit. Germania
Missis. Validissimis. Subsidijs
Ad. Suspiratam. Victoriæ. Metam. Feliciter
Conuolaui.
Tuæ Prudentiæ. Repetit. Cum. Plausu. Insubria
Acceptum. Fero. Quòd. Prouocati. Gallorum. Regis
Et. Iam. Ceruicibus. Imminentis
Dexteram. Minacem. Vidi. Tela. Non. Sensi.
Te. Florentia. Celebrat
Grassante. Lue. Sum. Experta. Ex. Principe. Patrem
Mirata. In. Aulico. Splendore. Regem
In. Bellico. Apparatu. Cæsarem.
Has. Inter. Procerum. Voces. Plaudentium
Ne. Despice
Inclyte. Magne. Dux
Minimi. Ordinis. Nostri. Pæana
Quo. Tuum. Gratulabundus. Triumphum
Prosequitur:
Quando. Vèl. Garrulæ. Auiculæ. Salutanti
Cæsar. Arrisit.

Stylo-

*Stylobata, cui hæc moles incumbebat, insertam prætulit quasi operis vetustissimi tabulam, in qua vaticinium fingebatur Etrusci Regni ad Ferdinandum II, antiquis ex arte notis excusam, vt & inuidia declinari voluisse ex inuoluto notis vaticinio Regni, & simul conciliari fides, & quædam quasi religio ex antiquitatis facie videretur. Sed proponendæ antè sunt Tabulæ superioris notæ in fornice triumphali, vt suprà meminimus, Videlicet*

*Deinde.*

AVSPICIVM
Etrusci. Regni

*Interpretatio Prioris Tabulæ.*

Consul, Præsul, Imperator, Diuus, Purpuratus, Sapiens, Eques Tibi Iure optimo Cedit In omnium conspectu, Et Deuotus Gratulatur.

*Posterioris Tabulæ.*

Quia Antiquus Es Moribus Princeps, Tibi Iure optimo
Tempus antiquum Debet. Iccirco Gratulatur Tibi Et Hoc
Auspicium Facit, Omen Portendit, Oraculum Dat, Vaticinium
Dicat Et Dedicat. Ecce Magnus Princeps Etruriæ
(Fer Di Nan Dus) Tantocius Rex In
Tuscia. Dolus malus abesto. Mihi crede. Est Hoc Oraculum magis
Quàm Oratio, Vaticinium, Quam Præconium. Ecce Saturnus
Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna, Cælum
Tibi Hoc In Præmium Portendit

*Deinde conspecta est Columna.*

## COLVMNA TRIVMPHALIS

*Ad exemplar Romanarum, quæ adhuc in Vrbe spectantur, Antonino Pio, & Traiano erectæ. Statuam sustentabat Ferdinandi II. Magni Ducis, Coronam suis è lilijs textam porrigentis Victoriæ Coniugi: Cuius item statuam ex aduerso altera Triumphalis Columna tollebat. Hæc autem Ferdinandi res gestas illustriores circumscalptas obtulit. Hæ sunt.*

*I. Itinera per Italiam, ac Germaniam suscepta, æmulatione Pythagoræ, Platonis, Apollonij, aliorumque summorum Philosophorum, Sapientiæ comparandæ gratia.*

*II. Religio in sacris AEdibus fundandis exhibita, præsertim Clericorum Regularium vsui, Florentiæ ac Liburni. In religiosis ordinibus alendis, decretis annuis censibus. In curandis ære proprio sacris ritibus cùm alibi passim, tùm Pisis in Templo S. Frigdiani.*

*III. Pientissima munificentia in subditos populos, epidimia grassante.*

*IV. Liburnium oppidum inexpugnabili munitione vallatum.*

*V. Idem ipsum ad delicias, & mercaturas exædificatum, ad exemplum Venetiarum.*

VI. Me-

*VI. Mediterraneum pelagus fusis, captisque prædonibus repurgatum.*
*VII. Insanæ molis ac sumptus Quinqueremes, solo formidabiles prospectu classibus Turcarum, ac Barbarorum.*
*VIII. Subsidia belli frequentissima Cæsari missa ad Hæreticos in Germania debellandos: Regi quoque Hispaniarum ad Insubriam defendendam.*
*IX. Conciliata pax inter Reges Hispanum & Gallum; bello Casalensi secundo: nec non inter Regem Hispanum, ac Ducem Parmensem, recenti bello Insubrico.*
*X. Theatra & Fontes in Regijs AEdibus Florentinis, munificentia planè Regia extructi.*
*Plura congesta essent, si campus tulisset. Omnia verò in basi Columnæ dedicata sunt hac Epigrapha, videlicet*

FERDINANDO. II.
SAPIENTI. PIO. FELICI
MAGNORVM. ETRVRIÆ. DVCVM
MAXIMO
AETERNITATEM. PRIMA. IN. AETATE
PROMERITO
CHRISTIANI. ORBIS. COLVMINI
COLVMNA
SVRGIT
IMMORTALIBVS. EIVS. FACTIS
CONSECRATA.

*Hæc autem ingresso Ferdinando lusit Poëtarum chorus Latinè, Italicè.*

*ELEGIA.*

Phœbe, quis insuetis vrit mea pectora flammis?
Phœbe, quis ardentes excitat ore faces?
Musa, quid ad doctos curris lætissima cantus?
Phœbe, quod ignotum limina Numen habet?
Musa, quid assuetas Heliconis deseris oras?
Phœbe, quid ad tantos curris ephebe iocos?

Duci-

Ducite iam choreas: iam dicite carmina Nymphæ:
Plaudite: virgineos agglomerate choros.
Sed quis adest sacro decoratus colla trophæo?
Aut quem tam subitus, Musa, triumphus agit?
Dux ignotus adest, & ahena luce coruscus
Læta supercilio temperat ora graui.
Militis, heu, cerno comites hinc inde cateruas,
Sedit & albenti cum Duce miles equo.
Parcite carminibus, choreis citò parcite, Nymphæ:
Parcite virgineos agglomerare choros.
Sed si mens sana est (sanam reor esse, nec erro)
Laurigeri Phœbi fidus alumnus adest.
Iam, Nymphæ, ad Choreas, ad carmina vestra redite:
Plaudite, virgineos agglomerate choros.
Cernite Cælesti decoratum emblemate amictum,
Cernite Cælesteis Axe stupente globos.
Cernite ceruleo florentia lilia in orbe,
Auro per gyrum diuite stemma nitens.
Omnia magnanimi sunt hæc insignia Regis,
Ætherij in terris inclyta signa Ducis.
Obstupuere Dij iuuenem virtute virili,
Obstupuere viri pectora digna Dijs.
Ipse vel æternis reuolutus legibus Æther
Cogitur insolita sistere luce fruens.
Rident Astra polo noua, floribus Astra renident:
Vndique & aurato splendida rore pluunt.
Ducite iam choreas, iam dicite carmina, Nymphæ:
Plaudite; virgineos agglomerate choros.

GIV-

# GIVBILO TRIONFALE

## Nelle Nozze del Sereniss. Gran Duca di Toscana FERDINANDO II. con la Sereniss. VITTORIA DELLA ROVERE Principessa d'Vrbino.

I. *Giganti mossero*
*Al Cielo guerra,*
*E i Monti scossero,*
*Ch'ernan la terra,*
*Per farne (Bolidi)*
*A i Cieli solidi*
*Scala à l'insù:*
*E fulminatine*
*Caddero ingiù,*
*Prigionieri infelici*
*Dei Monti à le radici.*
*E quindi fiamme spirano*
*E in van sospirano*

II. *Gli Dei si risero*
*Fra le giuste ire,*
*Che sottomisero*
*Il folle ardire,*
*Saturno altissimo,*
*Gioue augustissimo,*
*Marte guerrier,*
*E Febo lucido,*
*Di raggi Arcier,*
*Vener vaga, e Cilleno,*
*E Luna insiem dal seno*
*Ire, e gioie spirarono,*
*E trionfarono.*

III. *Le Sfere Celiche*
*O FERDINANDO,*
*Cui Menti Angeliche*
*Stanno aggirando,*
*In te si posano*
*Hora, e si sposano*
*Co'l tuo valor.*
*D'Atlante, e d'Ercole*
*Vinci l'honor.*
*Nel tuo fido sostegno*
*Gioisce il tuo bel Regno;*
*Le Sfere à te fiammeggiano,*
*Per te lampeggiano.*

IV. *S'al mondo accendesi*
*Bellica face:*
*Per te à noi rendesi*
*SATVRNIA pace.*
*Lo scettro nobile*
*Il trono immobile*
*GIOVE ti dà:*
*E teco assidesi*
*Alta pietà.*
*Per te MARTIAL tromba*
*Ai perfidi rimbomba*
*SOL chiaro à noi diffondesi,*
*Che altrui nascondesi.*

V. *Delitie tenere*
*Di beltà nuoua*
*La bella VENERE*
*Per te ritruoua.*
*Nel ricco Genio,*
*Che'l saggio senio*
*Gia superò,*
*Mille MERCVRIO*
*Licei formò.*
*E la veloce LVNA*
*Dai monti, e lidi aduna*
*Le ancelle sagittarie*
*Tue tributarie.*

VI. *Tuoi lumi arrestano*
*De' Galli il corso,*
*E saggi apprestano*
*A l'ire il morso:*
*Lo sdegno Regio*
*Ver Prence egregio*
*Placato fai.*
*Tu vinci l'Aurea*
*Età co' i rai;*

*La fama illustre bando*
*Fà del GRAN FERDINANDO,*
*Da cui Bellona sgombrasi,*
*SATVRNO adombrasi.*
VII. *Zelo santissimo*
*Di tuo cor più*
*Inuer l'Altissimo*
*Monarca Dio,*
*Per cui si accendono*
*E al Cielo ascendono*
*Fumi Sabei;*
*E Tempij s'ergono*
*Al Dio de' Dei:*
*Ti fà di luci nuoue*
*Vn poderoso GIOVE,*
*Di cui diràn le glorie*
*L'eterne istorie.*
VIII. *Fughi, qual' emulo*
*Di MARTE il fiero,*
*Timido, e tremulo*
*Il Trace altero.*
*Gli empi pauentano,*
*Qual' hor s'auentano*
*Al guerreggiar*
*Tuoi pini altissimi,*
*Solcando il mar*
*Al tuo guerriero braccio*
*Lo Sueco vien di ghiaccio:*
*Cede à scettro Cesareo*
*Furor tartareo.*
IX. *S'à morte spronaci*
*Contagio ardente:*
*La vita donaci,*
*Qual SOL lucente,*
*Sollecitissima,*
*Tua benignissima*
*Paterna fè:*
*Te Padre, e Prencipe*
*Il Ciel ci diè:*
*O non toccata mèta*
*Dal lucido Pianeta:*
*O SOL, che'l Sol deriuiti,*
*E i cori auiuici.*
X. *Gratie mirabili*
*Di CITEREA*
*Riserti amabili*
*Ne l'alta idea:*
*Quand' il passo agile,*
*De l'età fragile*
*Nel verde April,*
*Sol per apprendere*
*Il vario stil*
*De' Politici fasti,*
*Per Europa girasti.*
*Quindi i rai, c'hor s'accoppiano,*
*Tue nozze addoppiano.*
XI. *Dietti MERCVRIO*
*Sua lira, e plettro:*
*Quand' alto augurio*
*Diero al tuo Scettro*
*Gli anni acerbissimi*
*A tutte attissimi*
*Scienze ordir,*
*Che l'aura vinsero*
*D'ogni desir.*
*Le Muse hor nel tuo core*
*Fann' armonie canore:*
*E Mecenate honoranti,*
*E Apollo adoranti.*
XII. *La Luna hor luceti*
*Con que' splendori,*
*Con cui produceti*
*Gli argenti, e gli ori.*
*Giardin ne sorgono,*
*Fonti si scorgono,*
*Con garà, e zel,*
*Palagi, Statue,*
*Colossi al Ciel:*
*E infin dal sen del Mare*
*Nuoua Venetia appare:*
*Le fiere son delitie*
*Di tue douitie.*
XIII. *Gl'inuidi hor vengano*
*Per guerreggiarti,*
*E mille tengano*
*Astutie, ed arti:*
*L'armi riuolgano,*
*Le Furie sciolgano*
*A danni tuoi.*
*Chi può al Ciel togliere*
*I rag-*

*I raggi suoi?*
*Per te dal Ciel fan guerra*
*Contro'l liuor di terra*
*Quei che le Sfere adornano,*
*E in Ciel soggiornano.*
XIV. *Quei Numi seruono*
*Al tuo valore.*
*Le Stelle seruono*
*Per tuo splendore.*
*Cedon maleuoli*
*Giganti, hor fieuoli:*
*Cui rabbia aprì*
*L'ignee voragini,*
*E gl'inghiottì.*
*Per trionfo le sfere*
*Hor ti fan nozze altere:*
*E, ad immortal tua gloriá*
*Sposa è VITTORIA.*

*Post hæc habita est de suggestu Dictio, quam Nos in Corpus Dictionum, altera Parte Operis libenter reijcimus.*

*Clausulam argumento fecit Theatralis machina, Mundum repræsentans in Orbes illos digestum, quibus hactenus explicata est gloriâ Medicea Sapientiæ. Planetæ ibi in humana specie, suis vagè insidentes orbibus, præferentesque sidus in frontibus, insigne præ manibus. In medio Terra librata, lilijs Mediceis, Robore aureo gloriosè vernans. Circum eam volitabunda Fama. Ceterùm colluce re Machina reflexis ignibus latentium facularum; cuius quò fieret aspectus amænior, præcluso de repente per Templum omni lumine, subtractoque priori obiectu Aræ, retexit se se illico è media illa obtenta caligine serenus, densisque radians fulgoribus nouus Orbis, subnixus autem iugo Montis Atlantis (in cuius formam Ara migrauerat) cum aduoluto lemmate Horatiano:* Sublimi feriam. *Patuit is ad tubæ sonitum editum à Fama: Quæ mox in alas librata Serenissimum Ferdinandum salutauit musicè, præludens encomijs per Planetas subinde edendis. Cecinere & ipsi musicè, consonum quisque sibi facinus egregium Ferdinandi, resumpto per chorum alternatim Famæ carmine. Ita vèl in hoc Mundo Symbolico probatum venit, quod suadere de Mundo Magno contendebat Pythagoras, ipsum ratione musices compositum canere ad harmoniam. Post hæc iterato tubæ sono submota est oculis Machina, redditusque pristinus scenæ prospectus, diei facies. Denique Gratiæ à Poeta dictæ. Videlicet.*

*FAMA.*

ACCIPE
QVAE. PANGIT. MODVLIS
TIBI. DVLCIBVS
AETHER
CONSONA. DAT. FACTIS
STEMMA
TRIBVTA. TVIS.

*SATVRNVS.*

IRATAS
REGVM. DEXTRAS
IN. FOEDERA
IVNGIS
PACIFER. INSVBRIBVS
CONCLVDIS. LIMINA
IANI.

*IVPITER.*

QVAE
PER. TE. SVRGVNT
TEMPLA. SVPERBA
DIIS
AETERNI. TESTES
RELLIGIONIS
ERVNT.

*MARS.*

TE
SVEVVS. ACER
TVRCVS. ET. HORRIDVS
PAVET. MINANTEM
SEV. FRETA. CLASSIBVS
TERRAS. ETRVSCO
SEV. PREMIS. AGMINE.

### SOL.

T E. L V E S
CAROS. VIDVANS. PENATES
NVMEN. VT. PRAESENS
TREMEFACTA. SENSIT
T E X I T
AD. PHOEBI. RADIATA. NIGROS
LVMINA. VVLTVS.

### VENVS.

P E R. T E
CAESAREVM. DECVS
CONCVSSVM. RABIE. CONSTITIT. HOSTIVM.
SVFFVLSIT. TVA. DEXTERA
CVLMEN. CAESAREVM. MARTE. POTENTIOR:
O. SCEPTRO. QVOQVE. CAESARIS
CONSECRANDA. GRAVI. DEXTERA. NOBILIS.

### MERCVRIVS.

ADDIT. ALAS
MAGNE. PRINCEPS
DVLCIS. ARDOR. LAVREAE.
O R B I S
VLTIMOS. RECESSVS
V T. PETAS. ORACVLA
PERVAGARIS.
NVLLA. TERRENT. NVLLA. FRAENANT
A R D V A.
MOX. REVERTIS. AD. PENATES
FACTVS. IPSE. ORACVLVM
SANCTA. REGNO. REDDITVRVS
I V R A
ALVMNVS. MERCVRI.

## LVNA.

ECCE
VASTA. IN. AETHRE. TOLLIS
MOLE. THEATRA
ET. SIMVLACRA
IN. VIRENTIS. ARCE. COLLIS.
DVX. ETRVSCE
IN. ORBE. GRANDIS
CVI. VICTORIA
SPONSA. ET. GLORIA
HAEC. TRIVMPHI. SIGNA. PANDIS.

## GRATIAE.

Hæc plausisse satis, Magnorum Maxime Princeps:
Non tibi Magna satis: Non tibi Multa satis.

## PALMATA. SAPIENTIA
## SERENISS. VICTORIA

*Tandem Rouerea Gens in* VICTORIA *nepte auspicatissimi nominis, vnoque auitæ gloriæ superstite surculo, triumphum actura, geniale Robori suo theatrum poscit, syluestrem ipsum, ac montosum sinum. Ibi gemino Roborum surgente agmine consistit agrestis operæ ingens Fornix in speciem triumphalium compositus. Satyrorum id negotium prætendebatur, procacis adeò studij, vt duo ex illis totam vrgerent molem. Insilientes quippe hinc, inde in gremium ipsorum Roborum, calcatos primùm vestigijs ramos, forasque recuruatos quædam quasi Corinthij ordinis capitula exhibebant, caudicibus quasi columnis imposita. Deinde brachij proximo vtrinque cubito innixi in grandiores alios ramos, ita premebant, vt inclinati isti inuicem coirent in Arcum, suis interea manibus ad medium ipsius Arcus porrectis ad sustinendam vnà prægrandem coronam è Roborea fronde cum supposita tabula, cuius quidem Inscriptio inferiùs afferetur simul cum nonnullis carminibus. Distantibus verò bra-*

*rò brachijs erigebant Satyri, ad coronidem Fornicis, ramum item Roboreum, appensis è fronde eadem crebris corollis cum lemmate, hinc quidem* VNI OMNES: *illinc autem* INSTAR OMNIVM VNA. *Sed inter hosce corporis nixus, ne desideat potius membrum Caput, admorsum totis maxillis ligamentum frondeum (& ipsum ex Robore) sustinebant: quod infernè dependens, interquè caudices, quos vicem agere columnarum prænotauimus, variè distributum, interstitia eorum implebat ad Architectonices legem. Fuit & aliud alijs Satyris molimen, apparandi currum, quo traijceretur sub Fornicem in triumpho* VICTORIA. *Amænum hercle tam ingenio, quàm neruis inuentum. E Roborea quippe Sylua cæsis ramis instructa sella est, viriditate frondium meliùs, quàm holoserico villoso magnifica. Quadrigas autem non tantum egere iuncti Satyri, sed ipsas quoque rotas (incuruato in orbem dorso, pedemque manu apprehendente) quas, quod mirere, Satyrus vnus quaternas continebat iacens prono, & expanso corpore, insigensque vice Axis pedes posterioribus rotis, anterioribus manus: sed & humeris, ac tergo suffulciens impositam sellam: & capite è medio anteriorum rotarum promisso munus temonis gerens, cuius ceruici alius insidens quadrigarium agebat. Ita currum trahere simul ac effingere cernebatur, iucundè petulans Satyrorum industria. Vltra Fornicem prospectabatur aureis Roboribus nemus consitum. Ea triumphi meta præscripta. In aditu Draco vigil, cum inscripto lemmate* SERVANTVR. FERDINANDO. *Comitabantur verò pompam alij in turbam Satyri recitantes musicè carmina de libris, hoc est corticibus Roborum, in queis prisco more conscripta erant. Alij fistulas gestabant, atque in codicibus emblemata picturata cum subscripto carmine: interque voces canentium permixto fistularum concentu deducebant sublimem in curru* VICTORIAM.

*Inscrip-*

*Inscriptio Fornicis Triumphalis.*

SERENISS.
VICTORIAE. ROVEREAE
MAGNI. ETR. DVCIS. VXORI
INCLYTAE. FORTVNATAEQ.
DOMESTICAE. SAPIENTIAE
EX. ASSE. HEREDI
AEMVLATRICI. GLORIOSAE.
CLERICI. REG. S. PAVLI
TANTI. SPECTATORES. CERTAMINIS
ADMIRATORES. VIRTVTIS.
IMMORTALIS. GLORIAE. MONVMENTVM
ERECTQ. ROBOREO. FORNICE
D. D.

*Serenissima VICTORIA FERDINANDI. II. coniux*

*EPIGRAMMA.*

*Cum allusione ad Orbes Medicei Stemmatis.*

Frustrà abeas præceps stridentia ad agmina, miles,
Frustrà & ab hostili cæde trophæa paras.
Paruit Ausonijs vix vna Europa triumphis,
Vnius & Macedo vix fuit Orbis herus.
Ecce puellaris senos decor obtinet Orbes:
Acrior ad bella est (credito) Marte Venus.

*ALIVD.*

Quæris, cur Orbes ineas, Victoria, senos,
Et Magnum possis obtinuisse Ducem?
Victa in te certat miro Victoria ludo,
Certoque ambiguum nomine Numen ouat.
Ipsa Ducem tibi, teque Duci dat grata vicissim:
Quæque habuit thalamos Martis, Amoris habet.

*ALIVD.*

ALIVD.

Ingemuit Macedo, domito primo Orbe, ſecundum
Indomitum vt ſenſit viribus eſſe ſuis.
Nunc etiam Magni titulum vſurpaſſe puderet,
Bis ternos ſi Orbes cerneret eſſe tibi.

ALIVD.

Quàm bene Fernandi ſocialia fœdera pangis?
Quàm bene reſpondent ſtemmata Etruſca tibi?
Nec diadema vllum Medicæo illuſtrius Orbe;
Nec te, bella Venus, gemma ſuperba magis.

ALIVD.

Quæ dat Amazonibus demirans facta vetuſtas,
Dum legis, ah, quid ais, Gloria noſtra perit?
Hæ tibi ſi ſenos videant ſuccumbere Mundos,
Quanta fuit, dicent, laus domuiſſe Scythas?

ALIVD.

Hactenus exarſit Mauors in prælia Amoris:
En modò blanda Venus Martia in arma calet.
Quàm ridendus erit Veneris Mars prælia miſcens
Bella ciens Martis tam metuenda Venus.

ALIVD.

Saluete, ô Magni radiantes Orbe Planetæ:
Saluete Etruſci lumina magna Poli.
Sol quùm ſis Princeps; quùm ſis quoque Cynthia, Coniux:
Miror, vti radient lumina veſtra ſimul.

ALIVD.

Dum te forma, vigor decorant, & Palladis artes,
Exuperas ſexum, fœmina magna, tuum.
Vno ſed puncto maior Tu te ipſa videris,
Cùm fueris Magno conſociata Duci.

ALIVD.

*Cum allusione ad Theatrum literarium Typici Mundi, & Stemma Rouereum.*

Quæ lusit fingens vero maiora Vetustas,
Maior Dux fictis vera fuisse probat.
Iam lyra Threicij sileat: modulamina surdas
Vincere non syluas, non valuere petras.
Hæc, hæc, tanta recens ætas miracula spectat:
Celsa, sed auratis, currere ligna comis.
Non cantu fruitura silent hoc pariete saxa:
Vocali ecce vehunt laude trophæa Ducis.
Ne, fabella, fidem quæras: historia post hæc
Admiranda tuam poscit habere fidem.

AD FERDINANDVM.

*Auspicium ex AEolo Virgiliano.*

Hesperio florent plures mihi littore Nymphæ:
Quarum quæ formæ VICTORIA laude triumphat,
Coniugio iungam stabili, propriamque dicabo,
Vt tecum meritis pro magnis exigat æuum,
Dignaque gentili reddat tibi lumina Mundo.

EPIGR.

Pandat odoratum florenti stemmate læta
Terra sinum, placido Ver nitet æthre nouum.
Insita sidereis Quercus dum vernat in agris,
Æterno ridet fœdere Terra Poli.

*Allusio ad Robur patrij stemmatis, & ad lilium Rubrum Diadematis Ferdinandi coniugis.*

Robora dant cunæ, iungunt tibi lilia tedæ:
Robore fama viget, forma rubore viget.

ITEM.

ITEM.

Te Robur Sponſam decorat, te lilia nuptam:
Sic bene fortis Amor, ſic bene blandus Amor.

ITEM.

Perge, Triumphe: Polus plaudit: fert Terra quadrigas:
Sceptrum dat Quercus, Lilia ſerta dicant.

*In tria Lilia ſtemmatis Medicei cum alluſione ad Sereniſſimos Ferdinandum II, Victoriam Vxorem, & Annam Sororem præſentem.*

Qui globus in ſummò dominatur ſtemmate, Olympi
Æmulus Ætherij Lilia terna gerit.
Iam pictis rutilant terris, vt Sidera, flores:
Vt flores, vernant Sidera blanda polo.
Miraris? ſi Terra Polo tria ſuſtulit Aſtra:
Lilia non totidem vindicet ipſe Polus?

EMBLEMA

*In Orbe rubro Medicei ſtemmatis conſita Quercus, ſeu Robur aureum Rouereæ gentis, cum ſubſcripto hoc carmine.*

Non ſuccisa iacet, violataue turbine Quercus
Aurea, Rouerei ſeminis altus honos.
Sed ſpecioſa Dijs oculos quùm fortè bearet.
Translata ad Superos non moritura viget.
Aſpice, vt auratis Cælo radicibus hæret:
Ex tali fructus quos feret illa ſolo?

ALIVD.

*Luna inter Stellas collucens cum lemmate*

ORNATVR. ET. ORNAT.

ORNATVR vario circundata Sidere Luna:
Heroina, tuis pulchra niteſcit Auis.
Vtque faces ORNAT blando Latonia vultu,
Non ſecus ipſa tuis lumina iungis Auis.
Attamen hoc vincis, VICTORIA: ſæpe Dianæ
Decreſcit; creſcit ſed tibi ſemper honos.

ALIVD.

*Luſciniæ binæ in ramis Quercus canentes, quarum vna ſuauitate alterius victa cadit è ramo exanimis, cum lemmate:*

ALTERCANTIBVS VINCIT ALTERA CANTIBVS.

Binæ luſciniæ velut
Gaudent quùm genium ſoluere amoribus
Celſi culmine Roboris:
ALTERCANTIBVS en ALTERA CANTIBVS
Victrix obruit æmulam.
Sic Tu Roboreo ſtipite prodita
Heroina iugalibus
Vinclis iuncta Duci magnanimo, rapis.
In certamine gloriæ
Inuicto inclyta Victoriæ adoream

TROPHAEVM

*Cuius in culmine Ara cum inſcriptione* Non Ignotæ Deæ, *ſuſpenſis circùm ſpolijs opimis. In ipſo autem ſinu molis legebatur Dedicatio huiuſmodi.*

SVCCEDE
Tuis. Glorioſa. Triumphis
Perſonante. Victoris. Nominis. Buccina
Præcedente. Pompa. Gentilium
Acclamante. Orbe. Vniuerſo
SERENISSIMA. VICTORIA
Mediceo. Dignata. Stemmate
Ditata. Emblemate.
Habes. hic
L I L I A
Quibus. Auitam. Quercum
Ad. Serta. Nobiliora. Intexas:
Habes
CAERVLEVM. AMICTVM
Quem. Aureis. Diſtinguas. E. Quercu. Glandibus
Ad.

Ad. Splendorem.
Habes
ORBES. VARIOS
Ex. Quibus. Tibi. Anulos. Confles
Concinnes. Cycladas. Monilia. Condas
Variesque. Ad. Pompam. Diademata
Nullis. Præter. Stellas. Illuminanda. Gemmis.
Harum. Tu. Copiam
SERENISSIMA
Tùm. Ex. Domesticæ. Virtutis. Dote
comparabis
Tùm. E. Regijs. Gazis. Mediceæ. Gloriæ
Quæ. Tibi. Tota. Effunditur
Ad. Triumphum.

*Basis autem Trophæi obtulit prisco charactere Græcorum, Auspicium Etrusci Regni ad Serenissimam Victoriam, videlicet:*

ΘΣΙΑ.ΜΣ ΕΥΕ.Ω
ΟΥΙΚΤΩΣΙΑ.ΣΕΒΑΣΤΗ.
Η.ΤΗΣ.ΑΡΕΤΗΣ.ΣΗΣ.ΤΥΧΗ.ΑΚΟ-
ΛΟΥΘΟΣ.ΠΑΡΑ.ΑΙ.ΥΠΗΡΕΤΙΔΕΣ.
ΧΑΡΙΤΕΣ.ΔΙΑΚΟΝΟΥΝΤΕΣ.ΣΕ=
ΦΥΡΟΙ.ΜΑΡΤΥΡΟΥΣΙ.ΟΙ.ΠΡΟΛΕ-
ΝΕΣΤΕΡΟΙ.ΟΝ.ΑΥΤΗ.ΤΟΥΣ.
ΕΠΙΙΝΟΥΣ.ΟΥΤΩΣ.ΕΞΗΛΩΚΑΣ
ΟΣΠΕΡ.ΜΗ.ΜΟΝΟΝ.ΙΣΟΦΟΡΙΣΗΣ
ΤΟΥΤΟΥΣ.ΑΛΛΑ.ΚΑΙ.ΔΙΕΞΟΔΙ=
ΚΩΣ.ΤΟΙΣ.ΑΠΑΣΙΝ.ΕΡΓΟΙΣ.
ΥΠΕΡΒΑΛΗΣ.ΙΩ.ΘΡΙΑΜΒΕΥΕ
ΟΙΚΤΩΡΙΑ.ΙΩ.ΤΩ.ΣΩ.ΟΝ=
ΟΜΑΤΙ.ΕΥΣΤΕΦΑΝΟΣ.ΕΣΕΤΑΙ
ΓΑΡ.ΕΣΤΙΝ.ΟΥΝ.ΕΣΕΤΑΙ.ΕΝΔΟΞΟ
ΤΕΡΟΣ.Ο.ΘΡΙΑΜΒΟΣ.ΕΣΤΙ=
ΝΟΥΝ.ΔΕΣΠΟΣΕΙΣ.Η.ΤΗΣ.Ε=
ΤΡΟΥΡΙΑΣ.ΒΑΣΙΛΕΙΑ.ΤΟ.ΔΕ.ΗΣΟΥ
ΚΑΙ.ΤΟΥ.ΝΥΜΦΙΟΥ.ΣΕΒΑΣΤΟΥ
ΑΡΕΤΗ.ΑΝΑΔΕΞΕΤΑΙ.ΠΡΟΦΗΤΕΥΕΙ.
ΤΥΧΗ.

Hos

*Hos characteres faciliùs cognosces, opusculo nostro consulto, quod inscribitur* Dies Attici, *in calce libri* 1. *post Parænesim.*

## COLVMNA

*circumsculpta hieroglyphicis, instar præli, ascendentibus, Serenissimæ Coniugis encomium texentibus. Super eius capitulo Statua eiusdem aurata in Regijs insignibus, Coronam è Robore aureo dextera porrigens manu Ferdinando, cuius statua è regione imposita columnæ alteri, quam supra descripsimus. Hæc in basi Dedicationem huiusmodi exhibebat.*

SERENISSIMAE
VICTORIAE
Vrbini. Principi
Auspicatissimo. Italiam. Nomine
Serenanti
Regalibus. Etruriam. Hymenæis
beanti
Auream. Propaginem. Felicitatis. Mediceæ
pollicenti
COLVMNA
Hieroglyphicè. Insculpta
Encomium. Facit. Et
Auspicium.

---

*Hieroglyphica hæc fuere.*

1. Luna. Nidus hirundinum. Claua Herculea,
2. Ensis cum Clypeo. Lorica. Adamas super incude percussus malleo.
3. Falx admota fœno. Rosa occidente Sole languescens. Nauis onusta mercibus, quæ maritimis vorticibus submergitur.
4. Poma rodente carie, decidua ex arbore. Canis viso baculo fugatus. Rusticus homo, Aquilone vrgente, penulam sibi continens nixu brachiorum, ac manuum.
5. Nota compendiaria antiqua, dictionem (TV) referens.

Gallus

Gallus cucurriens. Robur, seu Quercus è senio pene arida, & frondibus expoliata; sed reuirescens in illa trunci parte, quæ habet insitum. Luna in fonte reflectens imaginem.

6. Salix arbor. Monile aureum vnionibus, & gemmis distinctum. Fax accensa, multiplicans in dirupto speculo lucem.

7. Lupus lupum vorans. Equa eliso calce in frontem leonis, ipsum cogens in fugam. Sphæra Mundi inter duarum palmarum complexum posita.

8. Auriga leonibus binis fræno contentis ad stadij metam pertractus. Cornu-Copiæ cum transuerso Caducæo. Vitis latè propagata.

## INTERPRETATIO.

1. Nobilitatis patrimonium, Virtus.
2. Bona Fortunæ inconstantia. Virtus constans. Casibus aduersis inuiolabilis.
3. Mors vitæ triumphatrix. Pulchritudò corporis fragilis. Diuitiæ fluxæ.
4. Deliciæ caducæ. Amicitia labilis. Vitæ commoda grauiter impugnata, difficulterquè conseruata.
5. Tu, Victoria, Insita Mediceæ genti, Rouercam interitui proximam restituis: Gentilitiam in te nobilitatem refers.
6. Heres Maiorum cùm sis: Virtutes omnes, laudesquè complecteris. Neque solùm; sed eorum quoque splendorem auges.
7. Domesticos viceras: Nunc etiam externos vincis. Vincis Etruscum Ducem, amore ipsum vinciens coniugali.
8. Finis autem virtutis tuæ Felicitas, & Prolis propagatio.

*Dictionem de suggestu habitam reijciendam putamus in Corpus Dictionum, alteram Partem huius Operis.*

GRATIAE.

Pangimus (heu) frustra. Vincis, VICTORIA, laudes;
Sed dum victa silet lingua, loquatur Amor.

*Haec etiam ad lusum adiecta visum est hic subijcere.*

CENSOR

*Haec cape, & carpe reliqua.*

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

*Mens nostra hoc loco fuit, vt Sciolos verberaremus, qui prona quadam libidine in alios censuram vsurpant. Vt, quia non facilè promptum haberent, quo ex thesauro has notas deprompserimus, ne dum quis earum significatus: confusa ipsorum temeritas obiectione ignorantiae primo statim occursu hebesceret. Deinde vbi etiam deprendissent fontem, adhuc opus haberent ad significatum expiscandum tanto laboris ac temporis, vt audaciam ipsa certè molestior mora perfringeret. Tandem vel assecutos interpretationem, ipsamet egregiè vellicaret assecutio, sententiae videlicet in eorundem probrum conceptae, vt ex interpretatione constat, quam hic subijcimus.*

IN-

## INTERPRETATIO TABVLÆ

*In Censorem*

Qui se Iactat, Quòd legit In Hac Tabula.
Et Hæc Intellexit: Hinc Autem Ostentat In
publico Ingenium Suum Quasi Antiquarius
Optimus: Huius Doctrina Est Verbo tenus.
Quis Enim Est? Rhetor, An Grammaticus? Neuter: Verumtamen Re vera Dicax:
Nihil aliud quàm Latinus, Verbosus homo
Et Morosus. Quid Igitur Tu Censor Es
Meus Tantopere Audax, Et Malignus?

*In Censorem*

## EPIGRAMMA.

Hic, vbi Regalem fixit SAPIENTIA sedem,
Et latè Imperij Sceptra verenda vibrat:
Insulsusnè sacros ausit violare penates,
Et Stygio virus Censor ab ore vomat?
Musa sile: Hunc doctis Genium dant Fata sinistrum:
Socraticum Dæmon audet inire latus.

## DICTIVNCVLÆ.

*Quibus Auctor Serenissimos Magnos Duces accepit in Templo, ac dimisit. Eas, quia extemporales, & , dum haberentur, exceptæ, idcirco Stylo integras, & primigenio charactere contentas referre visum fuit.*

## AD SERENISS. FERDINANDVM II. in Ingressu.

*Felices tibi nuptias (Ferdinande Magne Dux) precabamur dudum ab immortali Deo: nunc eas gratulamur, & votis voces adiungimus conceptæ lætitiæ. Vtinam, quemadmodum Celsitudinem tuam demittis in præsens ad humilitatem nostram: sic etiam liceret Maiestatem cogere in horum pectorum angustias, & penitiora sacraria cordium explorare: Ne hic ibidem Temet spirantem, imò Regnantem comperires. Agnosceres inibi Tuæ stemma familiæ, Serenissimos quidem Orbes fixos ostentans: Legeres Gentilium tuorum animatam historiam; Tua cum primis facinora, Princeps inuicte, conspicarere; penicillo Amoris efficta singula. Sed quando id assequi prohibet Natura; audet idcirco lingua, pertentat Manus; illa pangens, hæc pingens, interpretari arcana animorum, atque istius opes gloriæ in hoc Templo Sapientiæ oculis tuis gloriosa panegyri explicare. Ceterùm, quidquid informe occurret, aut obscurum, tuæ partes fuerint, non tam prodere fulgore Maiestatis, quàm Humanitatis vmbra protegere.*

## I N E G R E S S V.

*Conclusimus in arcto Amplitudinem tuam, Magne Dux; sed imitati Naturam sumus, quæ Magnum Mundum in Homine paruum reddit. Ausi sumus homunculi Cælum conscendere, quod de Monstris suis Gigantibus vix ausa fuit mentiri Antiquitas. Sed, sicut iucundum illud redditur, quia fabulosum: sic istud, quia nouum, & portento simile, sua forte non caruerit voluptate. Ac Nos quidem, vt rem tantam aggrederemur, audaces fecit Amor, cui contegere solemus oculos. Pennas quoque Amor ipse ministrauit, cui Alas affingimus. Nec enim alibi regnauit ille alacrior, quàm in nobis ipsis, vbi mutuo sensu, & Te in nostram Sodalitatem quàm beneficentissimum, & nostram in Te longè obseruantissimam Sodalitatem demiratur. Attamen vt* SAGITTÆ TVÆ ACVTÆ: *vt victi Animi nostri* SVB TE CADANT, *vt cedant prædicatione, qui facultatem Amori sentiunt imparem, incredibilis ista facit Benignitas, quæ suum cum Maiestate imperium diuisit.* DIXI.

## AD SERENISSIMAM VICTORIAM in Ingressu.

*Acclamamus (Serenissima Princeps) triumphis tuis, applaudimus gloriæ, quæ nomen istud Victoriæ mille palmis adoratum nobilitauit adhuc magis per recentes Nuptias felicissimas cum Magno Etruriæ Duce Ferdinando. Nec mireris, aduocasse nos ad Choragium vnà cum Latinis etiam Etruscas Musas. Habet non solùm ætas nostra, quod cum admiratione in Te prædicet; verùm & omnis antiquitas, quod cum inuidia suspiciat. Extollitur enim in Mediceorum historijs Lucretia illa Tornabona, Coniux Petri, Laurentij Mater, fœmina non tam claritate sanguinis, quàm Poësis Latinæ laude celeberrima; quæ & Neptem habuit ex Laurentio filio Catharinam, vxorem Henrici III. Galliarum Regis, non modò Latinè, sed Græcè quoque doctissimam. Ambarum tu victrix prodis in campum, Victoria, vt ipsa tuo respondeas nomini: Et, cum Ferdinandum Coniugem omni literatura cultissimum, alterum quasi Mercurium veneretur Etruria, Tu Te illi Minerua non immeritò iungis, politissima ingenio, cognitione multiplici rerum prædita ad sexus miraculum. Quare accipe serena fronte, pronis auribus, quas tuo addictissimus nomini Ordo noster effundit hodierna luce laudes, gratulabundus fortuna, gloriabundus præsentia.*

## In Egressu.

*Fruere iam, Victoria Serenissima; fruere Triumphis tuis: fruere lætissimis acclamationibus, quas Tibi hodie ingeminat minima hæc Sodalitas Clericorum, nominis istius, ac Maiestatis obseruantissima. Verùm nos quoque nostrum habemus, quo perfruamur, Triumphum. Vide, quid dixerim, Serenissima Princeps. Non ipsa solùm triumphas, tuis inclyta victorijs, tuis palmis gloriosa. Nos ipsi quoque, tametsi pusiones cum gigante, communem tecum deducimus triumphum. Optabamus Celsitudinem tuam adesse patienti animo nostris plausibus; ferre non inuitam, laudes tuas incomparabiles impari nostra facultate celebrari. Hanc putabamus votorum summam. Sed enim factum vidimus, vt non tantùm æquo animo, sed & leui fronte, & hilari vultu omnia sigillatim acce-*

*peris: adeòque non expleueris solùm abundè vota nostra; sed longè, atque oppidò superaueris. Scilicet ea est Amplitudinis tuæ humanitas, vt sola triumphare renuas, ni socios adhibeas ad triumphum. Sed esto. Sola nihilominùs triumphaueris, quæ semper habes, vnde alios amplitudine vincas, humanitate vincias.* DIXI.

## AD LECTOREM KOSMOPOEIAE PAROENESIS.

*Scrupulum ne premas, Lector, admoneo; si tamen opus: quàndo de prudentia tua, & candore (quisquis es) nihil vereor. Opus certè mihi, & Kosmopœiæ meæ: ne, dum alijs præfero Cælorum faces, caligine ipse mergar. Quod ergo Planetas tracto, tu ne Astrologum metire, sed Academicum, cui vtique laxior est hodie ad inueniendum sinus, & ad dicendum liberior campus. Scopus erat optimi Principis numeros de Planetis exprimere. Itaque in Marte Bellica virtus, in Mercurio Doctrina facilè præsto fuit. Sed & Ciuilis prudentia in Saturno Melancoliæ præside: ingenium siquidem præcellens melancolicis attribuit Philosophus Stagirites. Hos verò vt minimùm iracundos, atque à voluptatibus plurimùm temperantes, ad Ciuilem prudentiam natos quis neget? Iupiter calidus, idemque humidus (optimum omnium temperamentum) proptereà quòd Genium indit facilem, temperatum, ac probum: probis autem potissima cura Religio; non insulsè sacrorum honorum dispensator infertur. Simile quiddam de Sole, cui cum Ioue cognata natura. Sed, vt illi Religio, sic isti Sanctitas datur. Licentiùs fortè Venerem, ac Lunam vsurpauerimus, Principatum illi, huic Diuitias cum claritate generis referentes. Sed illud de Venere primùm succurrit, ex euincente calorem humore consequi luxum, elegantiam, venustatem, decorum, & (quæ Græcis est) εὐμορφία. Quæ omnia si cum probitate coëant, quæ ex huiusmodi temperamento manat, reddi hominem omnibus gratiosissimum, dignum ideo Principatu, atque illi sustinendo parem. Porrò Lunam ad progignenda metalla, erraticis alijs luminibus præpollere ignorat nemo, nemo ex metallis diuitias, ex diuitijs nobilitatem effluere. Non igitur absonum, si Lunæ potissimùm Diuitiarum, ac Nobilitatis Præ-*

*fectura*

*fectura committitur. Quare nec prudens quisquam* MVNDI *mei spectaculum improbabit, instituti ratione bene perpensa: Nec dedignabitur (spero) imprudens, si quis adesset, ac rudis, alieno licet in habitu Planetas intuens: quod baiuli saepe, ac sutores sub Regia persona iucundiùs in Scena spectantur. Te, Lector, quem non nisi prudentem iubeor praestolari, etiam humanum volo: Vt, quae incomptè hic, ac inconcinnè dicta repereris (repereris autem non pauca) Monstro veriùs, quàm* MVNDO *digna, inter illa reijcias Monstra, quae ex Diuo Augustino (de Ciuit. Dei) & ipsa ad pulchritudinem conferunt Vniuersi. Vale.*

FINIS KOSMOPOEIÆ.



APPEN-

# APPENDIX
## AD CLASSEM MORTVALIVM.

*Amici iussu Ponenda Romæ in Diui Nicolai in Carcere Tull.*

IOANNIS-BAPTISTAE
Patria Roma
Familia Consilieria ascita
declinandarum ergo inimicitiarum
inde rebus pacatis
decreto PII V. Pont. Max. consanguinei
resumpta GHISLERIA genuina
origine Bononia peruetustæ claritudinis
Ex Protonotario Apost. & Præside Cam. Ap.
in Sacrum Collegium Cardd. tit. S. Luciæ in Septisolio
pòst S. Nicolai in Carcere Tull.
à PAVLO. IV. assumpti
cedente vltrò honori oblatæ Purpuræ
fratre eius germano Paulo Ghislerio
Vno ex IV. VIR fundatorib. ordinis Clericor. Teatinor.
quocum pia intercedebat
modestiæ, religionis, integritatis æmulatio
Post obitam summa cum laude ac beneficio Sedis Apost.
Legationem ad Regem Hispan.
cumulati meritis. diminuti ætate
annor. vix II. supra L.
ad æternitatem scilicet properantis An. Sal. MDLIX.
Reliquias mortalitatis sine titulo hic offendens
ANTONIVS GHISLERIVS ROM.
Michaelis Filius
in oppido Boscho ditionis Mediolanen. nati
eiusdemque PII. V. consanguinei
Fidei commissorum ac Iurium Patronatus
ab ipso Pontifice successoribus in familia relictorum
Heres et Possessor
M . H . P.
memoriæ defuncti Gentilis dedicandæ
magnificentiæ familiæ conseruandæ
M D C L X X

*Et hanc*

*Et hanc rogatu Amici dictauimus in Historicum sacrum ex veritate historica citra fucum, ponendam Romæ in DD. Vincentij & Anastasij, ad Aquas Saluias.*

FERDINANDVS. VGHELLVS. FLORENTINVS
Abbas Cistercienſis
Publicatis Italia Sacra, Additamento ad Ciacconium,
aliiſque diſertiſſimis ſcriptis
Primarijs in Ordine muneribus honorificè geſtis
honorificentiùs recuſatis
heroicarum virtutum Aſceta ſexagenarius
experimentis multis editis
Temperantiæ in primis, et inter calumniarum procellas
inuictæ constantiæ;
Inhumatus gloria
Humari hic oſſa voluit
in ſuo Titulo
Deceſſit ingenti cùm deſiderio
Literatorum, Principum, Bonorum omnium
XIV. Kal. Iun. MDCLXX.
Septuagenario maior Annis IV. Men. II.

---

*Ponendum Romæ in Diui Francisci ad Ripam Tib. rogatu Francisci Zucchij ornatiss. Ciuis.*

D O M
Viator. Subſiſte parumper, et lege.
Hic iacet
LAVRENTIVS. ZVCCHIVS. ROMANVS
E vetuſta familia Parmæ oriundus
probitate vitæ ſuauitate morum
cùm Ciuibus ſuis. tùm Regulo Parmenſi acceptiſſimus.
Qui cùm in Aede Diuæ Apolloniæ
pridie Feſti ſacris adſtaret ſolennib. Veſperis
argentei vaſis ruina ex ornamentis coronæ Templi
petitus caput
vndecimo pòſt die ritu Chriſtiano compoſitus expirauit
Annum agens XXXIV.
Deplorandus, inſperatum ſi ſpectes caſum:

Inui-

Inuidendus, si profundum, si prouidum Numinis consilium
et vitæ Christi pretium argenteis pactum.
En vt prolusit
Templum Empyreo
Festum Diuæ Virginis, Diuorum thalamis
Celebratio sacri, Choreis Beatorum.
Hinc Tu Viator curriculum ne attende, sed metam.
Decessit XIX. Febr. MDCLXVII.
Oliua Calua de Zucchijs Parmen. Filio dulciss.
Franciscus et Margarita Fratri desideratiss. Poss.
M D C L X X.

*Florentiæ ponenda in Sacello Familiæ de Victorijs.*

PETRVM VICTORIVM
Florentinum
Primariæ nobilitatis Senatorem
Latinæ, Græcæque literaturæ oraculum
Expurgati à mendis, Illustrati commentarijs
miro ingenio, immensa eruditione
Principum Scriptorum codices
superstitem fato, coæuum humano generi testantur
N. & N. Victorij, Atnepotes
Vt spiret in vultu qui fama viuit, Imaginem Poss.
*Tenè putem victum Fato cessisse? diserta*
*Fati victorem, Victorie, scripta loquuntur.*

*Aliter.*

Nobilium florem Literatorum lumen
PETRVM. VICTORIVM. FLORENTINVM. SCRIPTOREM
Imagines Gentis ostentant,
Commentaria doctissima prædicant,
Eius Famæ Sacra faciunt
viuis instructa oraculis ipsius ætas
restituta suæ luci Sapientum Scriptorum antiquitas.
N. & N. Victorij Fratres germ. Atnepotes
Imaginem non Memoriæ sed Pietati consecrarunt.

RES

# RES MEMORABILES
## INDEX PRIMVS.

F.




G.



Gra-

cem



# DEDICATIONES DEO, AC DIVIS

## INDEX SECVNDVS



---

## FAMILIAE MEMORATAE

### Index Tertius.

Lau-

# VIRI MEMORATI

## Index Quartus.



Cur-

Ioan-

---

FOEMINAE MEMORATAE

## Index Quintus.



Thea-



# QVIBVS IMPOSITÆ EPIGRAPHÆ.

## Index Sextus.



T.

V.





E R-

# ERRATA. CORRECTA.

| ERRATA | CORRECTA |
| --- | --- |
| Pag. 80. versu 18. Oepido | OEdipo |
| 86. ver. 22. notam | notem |
| 87. ver. 1. Athæc | Ad hæc |
| ib. ver. vlt. in esse | inesse |
| 88. ver. 6. perspicationem | perspicaciorem |
| ibi. ver. 17. dicusserat | discusserat |
| ib. ver. penult. nulla coloris | nullo coloris |
| ib. ver. vlt. eia | tiæ |
| 89. ver. 14. Habentur | Habentor |
| ib. ver. 28. colorem | colerem |
| 99. ver. 19. improberabundis | improperabundis |
| 103. v. 7. ininnctus | inunctus |
| ibi. ver. 24. dilectum | delectum |
| 105. ver. 5. beneficiorumque | beneficorumque |
| ibi. ad med. Quæ terris pauci | Quæ terris paui |
| ver. 24. beneficientia | beneficentia |
| 106. ver. 17. ex Ordinis | ex Ordine |
| ibid, ver. 21. ieiunium | ieiunũm |
| 119. v. 6. vnde quinquaginta | vndequinquaginta |
| 122. ver. 22. expeditus | expetitus |
| ibid. ver. 23. profecturas | præfecturas |
| 123. MDCXV. | MDCLXV. |
| 127. In in Subria | In Insubria |
| 133. ver. 19. populus | pupulus |
| 134. ver. 24. promeritæ | promerita |
| 135. v. vlt. facessitæ. Adestæ | facessite. Adeste |
| 153. ver. 3. exarmati | exarmari |
| 162. ver. 21. euxundantes | exundantes |
| 163. ver. 20. inridet | insidet |
| 187. ver. 3. immensos | Immenso |
| 196. v. 8. Musarum Palladinũ | Musarum Palladium |
| 242. ver. 26. Videũ | Viden' |
| 268. ver. penult. Sic nostris | sic noctis |
| ibid. luci | lucis |
| 274. ver. 13. tulerit | tulerim |

---

*Erratis iure adscribenda venit, quæ oculos Typographi supra fugerat Epigraphe, Classi Memorialium pag. 52. inserenda, vt indicat numerus ibi interruptus, Videlicet*

## ERRATA CORRECTA:

V.

Quod suspicis
Inquiline Viator
Aedificium
Ant. Barberini S. R. E. Card. & Ab Aerario
Regnique Galliæ Magni Ab Eleemosynis
ære largo excitatum
Si cetera illius magnifica conferas
minimum dispicies animi verè maximi
monumentum
Arguasque ex tanto licebit Vngue
Quantus Leo.
Inchoauit An. Sal. XLV. supra MDC.
Absoluit LV.

---

*Nec tandem pœnituerit Tyronem obseruare sub Epitaphio, quod sibi Viuens posuerat ante Pontificatum Pius V. Romæ in Diuæ Mariæ supra Mineruam; Quid nos nuper rogati subdidimus eodem ipso in marmore, (spatio autem breuissimo, quod forte fortunæ superabat) quo moneremus, cessisse id sepulcrum, Authore vacuum, Genti suæ Ghisleriæ. Hæsimus autem decori causa notis illis veterum solennibus H. M. H. N. S. i. e. Hoc Monumentum Heredes Non Sequitur. Ita nos verò:*

Hoc Monumentum Ghislerios Gentiles Sequitur
Ex quo Fr. Michael Card. ad Pontificatum euectus PII. V.
Nomen assumptum Rer. gestar. gloria consecrauit
Desideratus An. Sal. MDLXXII. Aet. suæ LXVIII.
Pontific. VII. Tumulatus in Basil. Apost. Inde à
Sixto V. ad D. Mariæ Maioris translatus

F I N I S.

ROMAE, Typis & Sumptibus Nicolai Angeli Tinassij. M.DC.LXX.

*MAGISTRATVVM PERMISSV.*



